COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.

VOLVMINIS XXXII. PARS IV.

LIPSIAE, MDCCXC.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi Iunior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Mediolani apud Iof. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Guibert et Orgeas, Florentiae apud Iof. Molini, Holmiae apud M. Swederum, Lisbonnae apud M. Borell et Socios, Lausannae apud I. H. Pott.

I.

iornale per ſervire alla ſtoria ragionata della medicina di queſto ſecolo, Tom. III. Venet. 1786. pagg. 504.

i. e.

iarium inſeruiens hiſtoriae ratiocinanti medicinae huius ſeculi, Tom. III.

raeter varios a nobis iam recenſitos, aliosque breviter tantum indicatos libros in hoc tomo ſequentes recenſentur libri:

1. ALEX. MONRO *obſſ. de ſtructura et functionibus ſyſtematis neruoſi, Edinb.* 1783. *in fol. c.* 47. *tabb. n. Anglic. ſcript.* In capitibus XXVIII. loquitur p. 1.
circulatione ſanguinis in cerebro, de membranis p. 6.
rebri et cerebelli in genere, de reciproca ventri- p. 9.
lorum cerebri communione, de vaſis lymphaticis
rebri, infundibuli, et glandulae pituitariae de ci-
ritia et medullari cerebri ſubſtantia, de neruorum p. 12.
et exiſtentia a cerebro non dependente, de ſtru- p. 41.
ura medullae ſpinalis, de colore et textura neruo- p. 44.
m piae matris, de fibris tranſuerſis et ſpiralibus p. 46.
ruorum, de diuerſo nexu neruorum, inprimis de p. 81.
exibus, de externo inuolucro truncorum nerueo-
m et funiculorum, eos componentium, de ſtructu-
gangliorum nerueorum, de corpuſculis ſphaeroi-
is omnes neruos, paucis exceptis, in piſcis Gadi p. 83.
eciebus circumdantibus, de olfactorio, retina, au- p. 84.
torio, aliisque in ſpecie, de neruorum ſtructura p. 89.
icroſcopiis illuſtrata, de vi neruorum, de neruis p. 128.
nſus et motus inſtrumentis, de nutrimento ad par- p. 129.
s non per neruos, ſed per arterias delato, de ſen- p. 131.
tione duplici, vel cum vel ſine conſcientia, de fibris

p. 133. muſcularibus, organis ſui generis, non a nerui pro-
ductis, de modo et cauſis actionis muſcularis. Pro-
fert ſingulares opiniones, hinc inde ab auctore dis-
T. III. refutatas. Ex iconibus laudantur repraeſentatio-
IV. foraminis ouales, per quod ventriculi laterales co-
T. VII. municent; cineritiae ſubſtantiae in medio et crura
cerebri et cerebelli, ſub ventriculis, in protuber-
tia annulari, et medulla oblongata, in medullare
productae, in qua deſierint vaſa ad medullarem
Tab. X. matre miſſa; ligamenti denticulati; plexus bra-
XXI. -lis; nerui mediani e vagina ſua perfecte explic-
XVII. retis ab olfactorio in pituitaria facti; plexus
-XXIV. xillaris inferioris ramis ante tranſitum in ginglym-
-XXV. formati; diſtributionis mollis auditorii per labyr-
-XXIX. thum: prae ceteris admiratu digna praedicatur
XXX. XXXI. pulpoſum ad cochleam progredientem fi-
culum, ex multis minoribus medullaribus radi-
vndique in membrana laminae ſpiralis diſperſis, t
gantiſſimum plexum formantibus compoſitum,
ginta et ſex vicibus naturali maiorem offerens.

p. 16. 2. IO. GARDINERI *obſſ. de oeconomia animali de cauſis, et cura morborum, Edinb* 1784. *Angl. ſ in ind. ad med. theor. relat.* Nouem ſectionibus
p. 18. putatur de principio vitali, de neruis, ſympathia
p. 48. ſtimulis, de effectibus caloris et frigoris, de febri
p. 55. catarrho, febre catarrhali vel continua com-
p. 16. cholera, febre bilioſa et intermittente. Inter ſi
lares opiniones has retuliſſe ſufficiat, quod p
pium vitale ſit fluidum ſubtiliſſimum ſubſtantiae
dae neruorum inhaerens, non a ſanguine ſecret
p. 49. vera vero febrium cauſa proxima ſtimulus ne
ventriculi a muco glandularum eius mutato
plicatus.

p. 23. 3. IO. HRINNORHL *de uſu externo arſenici in*
p. 25. *ra cancrorum externorum. Regiom.* 1785. 8. *Ger*
nice ſcript. Non arſenicum proprie dictum,
calc

leem arſenicalem ſulphuri iunctam ſeu auripigmen-
um, ſi acriores ſtimuli haud pertimeſcendi; ſin ma- p. 27.
or ſtimulorum metus, ſandarachám (*realgar*) ſaepe
dhuc cum ſulphure miſcendam, eſſe adhibendam.

4. *Epiſtola D.* 10. BAPT. BORSIERI, *archiatr.*
rchid. Mediol. ad D. FRANC. AGLIETTI, *Italice*
ſcript. Quae cum diarii auctore communicata qua- p. 28.
uor continet caſus practicos a lithot. et ocular. med.
Mediol. D. DOMIN. VECELLI deſcriptos. I. Mona- p. 29.
hus dyſuriam ſat doloroſam paſſus, et vrinam albi-
am non foetidam cum ſedimento albo farinaceo
mittens, ob calculi metum acceſſit ad VECELLVM;
aulo poſt diſquiſitionem febre, dolore in pollice p. 30.
edis, et inſequente gangraena et ſphacelo cruris
orreptus eſt, amputatio neceſſaria fuit, interea vri- p. 31.
a limpida ſine incommodo miſſa, plaga vero ampu-
ationis ſanata rediit dyſuria, licet leuior, cum priori
rinae ſedimento. Octodecim menſibus poſt phthiſis
ulmonalis orta inſanabilis. II. Capucinus, cui nouitio p. 32.
urante ſitin aqua pro lubitu exſtinguere non licuit,
er decem annos difficulter et cum ardore pungentiſ-
misque in perinaeo doloribus, etiam vrina miſſa du-
antibus, lotium excreuit, non raro etiam cathetere vti
oactus, fruſtraque varios conſulens medicos tandem
cceſſit VECELLVM. Qui ex ſedimento vrinae albi- p. 33.
o filamentoſo et purulento vlcus ſuſpicatus diluen-
ia, demulcentia, et balnea commendauit; iis nil
uantibus, MOSCATO conſentiente, per inciſuram ve-
icae in perinaeo factam quinque vel ſex ſeptimana-
rum ſpatio apertam emollientia, deinde detergenti-
bus coniuncta, iniecit, hisque iſchuriam, et neceſſi-
tatem cathetere vtendi plane remouit, reliqua ſym-
ptomata tantum ex parte mitigauit, a quibus aeger,
ceptem ſequentibus annis variis remediis fruſtra vſus,
andem liberatus eſt, per triennium omni mane pau- p. 34.
ca intra minuta quinquaginta vncias aquae virginis

montis Ortonis in Paduano bibendo. III. Puer octo-
nis, nullo praeſente calculo, dyſuria, iſchuria et ſtran-
guria diu vexatus operatione lithotomiae ſimili, et
p. 35. IV. puella a quinto anno vrinam frequenter et parce
mittens, et per vndeuiginti annos remediis incaſſum
vtens, viro nupta ſponte ſanata eſt.

5. *Phyſica ſpecialis et generalis in tentamine
aliis analyticis, aliis elementaribus, auctore* CAROL.
BARLETTI, *Prof. phyſ. exper. et genet. in reg. l. ton.
p. 36. Pav. Pav.* 1785. 8. *Ital. ſcript.* Tom. I. de calore
et principiis thermologiae; calorem abſolutum, ſpe-
cificum, ſenſibilem, et latentem ex varia fluidi uni-
verſalis cum particulis terreſtribus coniunctione ex-
plicari; lucem vocari momentaneum exceſſum ca-
p. 37. loris abſoluti, e. ſ. p. Tom. II. de meteoris et meteo-
rologia. Fulgetra aeſtate frequentia vere eſſe rariora,
fulgura tempeſtatum longius remotarum. De novis
methodis, obſeruationes meteorologicas, hucuſque
inutiles, vtiliores reddendi. Ad duplicem electri-
tatem illuſtrandam duo aſſumenda eſſe fluida, ſine
fulminis aërem dephlogiſticatum habitum ſuum ae-
reum perdere, et metalla fundi. Tom. III. de aere,
aërologia, luce, et optica. Infectionem aëris non
a principio aëri atmoſphaerico accedente, ſed ab
aëre dephlogiſticato ex atmoſphaerico abeunte ori-
p. 38. ri. Tom. IV. de phyſica generali. P. 1. Vim particu-
larum materialium tenuitati ipſarum adaequatam
eſſe; inter foſſilia et organica corpora ſummam ex-
ſtare analogiam, quae euidentius innoteſceret, ſi
principium, quod omnia corpora iungit, eorumque
mutuum influxum efficit, cognitum eſſet; diuiſio-
nem corporum in aërea, vel ſublimia, aquea vel ſub-
p. 39. marina, ſubterranea etc. velut aptiorem, diuerſam
p. 359. eorum naturam melius eſſe explicaturam. P. 2.
aſtronomica eſt, legesque attractionis, et phaenome-
na terreſtria a coeleſtium corporum influxu pender-

tis, inprimis fluxum et refluxum maris perluſtrat.

P. 3. de vera ratione phyſicam colendi, quam in eui- p. 360.
tanda diuinatione cauſarum omnium phaenomenorum, quam methodum metaphyſicam vocat, ſtrenuaque mathematica methodo, theoria vero ex exemplis illuſtranda ponit. Tomorum trium priorum pars prima tantum prodiit.

6. *Tentamen obſeruationum et experimentorum de* p. 58.
facultatibus medicis aquae per artem gazoſae et martialis factae. Vtin. 1785. *Italice ſcript. Auctor D.* BORTOLO CHRISTIANOPOLI, a prof. Vtin. BERNABITA p. 59.
multum huius aquae obtinuit, eamque aegris in potu, balneis, vel iniectionibus datam in hepatis lienisque obſtructionibus, ictero, ſegnitie alui, vehementiſſimis ventriculi et muſculorum doloribus, oedemate, chloroſi, menſtruis ſuppreſſis, fluore albo, vlceribus et diſtenſione tendinum et ligamentorum articulorum vtilem expertus eſt.

7. *Commentatio* P. IO. BAPT. DE SANMARTINO p. 77.
Caput. de rubigine (nebbia) vegetabilium. Vicent. 1785.
Italice ſcript. Eſſe obſtructionem vaſorum perſpiratioui inſenſibili inſeruientium, a mixtione exhalatio- p. 78.
num et vaporum, glutinis ad inſtar in ſuperficie condenſatorum obortam, plantae robur reddendo euertendam.

8. D. MARAT *de vſu electricitatis in medicina. Pariſ.* 1784. *Gall. ſcript.* Contra *Abb.* BERTHOLONVM
electricitatem in producendis et ſanandis morbis minus efficacem, eamque tantum in tumoribus externis non dolentibus, eruptionibus cutaneis, rheumatiſmis, doloribus vagis, paralyſi, hemiplegia, lan- p. 79.
guore et incremento infantum imminuto, vtilem, in abſceſſibus a cauſa virulenta noxiam cenſet.

9. VOVLONNE *de charactere febrium malignarum, Gall. ſcript.* *) Eas eſſe febres auctas, in quibus natura

*) Praemio ornata 1785. ab acad. Diuionenſi: cf. comment. noſtr. Vol. XXV. pag. 556. et XXIIX. pag. 167.

p. 80. vires energiae principii morboſi accommodatae [illegible] euoluit, aut propter nimiam illam energiam, [illegible] organorum naturae debilitatem. Illas vium, [illegible] lentas vocari poſſe.

p. 91. 10. *Continuatio diſquiſitionum diuerſorum punctorum phyſiologiae, pathologiae et therapiae, e quibus apparent relationes morborum internorum cum [illegible] irritabilitatis, auctore* FABRO, *Pariſ.* 1784. 8. *Gallice ſcript. in indice falſo tantum ad med. theor. relat.* Tradito proſpectu oeconomiae animalis inprimis secundum theoriam BORDEUI, ſententiam ſuam de [illegible]

p. 93. bilitate, in priori opere iam expoſitam, ad morbos

p. 136. internos, medicamentorumque actionem, et in [illegible]

p. 138. libello, *diſquiſitiones de calore animali* tradente, etiam ad hunc explicandum applicat.

p. 114. 11. *Epiſtola D.* FRANC. ZULATTI *ad D.*

p. 115. BAPT. MARZARI *de nonnullis tetani ſpeciebus; italice ſcripta.* Approbatur idea MARZARI de tetano [illegible] logo rheumatiſmo inflammatorio, diſſeritur de tetano gaſtrico et putrido, in quibus opium, calomel et ſimilia nocua; reprehenduntur medici v. c. [illegible] KA et SAUVAGES, cauſas, adeoque et ſpecies tetani non rite diſtinguentes; enarrantur quatuor [illegible]

p. 116. tetani rheumatico-inflammatorii ad comprobandam laeſionem neruorum a perſpiratione ſuppreſſa [illegible] tam, vtilitatem methodi antiphlogiſticae, nonnumquam [illegible] ro antiſpaſmodicae et calefacientis; demonſtratur

p. 151. huius tetani prae ceteris frequentia ex cauſae frequentia, regionibus, annique temporibus, quibus [illegible]

p. 155. demius, et criſi eius; exponuntur cauſae tetani [illegible] ſtrici, illique medendi methodus, moſcho ſimul [illegible]

p. 184. infantum vſum commendato; comprobatur exiſtentia et cura tetani putridi enarratis hiſtoriis morbo-

p. 185. rum, exempli tetani ex abſceſſibus a metaſtaſi lethali putridae in cerebro ortis, frequentia tetani inter incolas zonae torridae; oſtenditur, exanthema eryſi-

pelato-

elatoſum et miliare tetanos ſaepe pariens, reuoca-
umque eos tollens, putridas eſſe indolis, demon-
ratur noxa opii, vtilitas moſchi et ipecacuanhae p. 187.
efracta doſi propinandae in tetano putrido; lauda- p. 189.
ur denique epiſtola MARZARI nuper recenſita.

12. *Examen aequum opinionum phyſicorum de theo-* p. 121.
ia *et praxi magnetiſmi animalis. Italice ſcript.* Recen-
entur variorum veterum de magnetiſmo hoc ſenten- p. 122.
iae; idea de fluido vniuerſali, vt cauſa reciproci in- p. 123.
luxus aſtrorum, corporum terreſtrium, immo et
omorum materiae minimorum, iam multum pro-
abilior facta, illuſtratur phaenomenis lucis, electri- p. 124.
citatis, et caloris; demonſtratur vt conſtanter ve- p. 128.
rum, fluidum illi phaenomena haec producenti ana-
logum in corpore humano circulari, et aut princi-
piarum terreſtrium fibras conſtituentium actioni
reſiſtendo, aut eam liberam relinquendo cauſam eſſe
praecipuorum oeconomiae animalis phaenomeno-
rum; oſtenditur, leges influxus aſtrorum in alia cor-
pora, et viciſſim mediante illo fluido peracti, natu-
ram huius fluidi, modum illud condenſandi, rarefa-
ciendi, et pro lubitu dirigendi nemini plane eſſe co-
gnitum, non autem damnandos eſſe, qui in reliquis p. 161.
cauti ſenſim decipi ſe paſſi ſunt; exponuntur vario-
rum recentiorum iudicia; fuſe doctrina MESMERI, p. 163.
a Thoureto recte cum illa MAXWELLII comparata,
vna cum ſocietatis Pariſinae et BONNETI de ea iu- p. 164.
dicüs, et varia exempla fraudem magnetiſtarum illu-
ſtrantia; contenditur denique, principium illud ex p. 170.
vno corpore in aliud, ex vna particula in aliam trans-
iens, variaque phaenomena gignens eſſe materiam
aetheream, quae a neruis attrahi et diſtribui, alio
ſimulo ex corpore extrahi, a circulantibus humori-
bus iterum abſorberi videatur, et eſſe vel ſimplicem,
vel coniunctam forte cum alio elemento, quod eam
modificet, caloremque animalem pariat.

p. 139. 13. MICH. VNDERWOOD *Tr. de vlceribus eorum*
–151. *Pariſ.* 1784. 8. Ex Anglico translatus in Gallicum a LEFEBURE DE VILLEBRUNE et cum CHAMPEAUX et CAMPERI ſcriptis comparatus, relata ſimul ELSII in curandis his vlceribus methodo.

p. 158. 14. *Analyſis chemica carbonis foſſilis de Arriguo cum naturalis, tum purificati, qua innocentia ſua eiusdem probatur, opus poſthumum* ANT. BASSEGGII.

p. 159. *Venet.* 1786. 8. *Italice ſcript.* In omni libra naturali vnciam vnam et duodecim grana olei variae conſiſtentiae odorisque empyreumatici, quatuor vncias et duodecim grana muci (*flemma*) paucique acidi volatilis, illi quod ſuccinum exhibet, analogi, ſex vncias, ſeptem drachmas et quinquaginta quatuorque grana ſubſtantiae carbonaceae, in qua vna drachma et viginti ſeptemque grana terrae argillaceae, ſex vero grana gypseae tantum perparum acidi ſulphurei volatilis continentis, reperta fuiſſe, carbonemque nil alcali volatilis tenentem, Suecico et Anglico adhuc praeferendum eſſe.

15. D. BRUSLE *Epiſtola ad auctores diarii oeconomici Bouillonenſis* 1786. *Gallice ſcripta.* Contra GARDANEVM contendit, colicam nauium, velut biliosam, et cortice chinae ſanandam, ordinarie non a pituris prouenire.

p. 172. 16. *Anonymus de morbis neruorum, quos vulgo*
–183. *vapores et conuulſiones vocant.* Sunt aphoriſmi, materiem
209. – adhuc edendo operi de vaporibus praemiſſi, a Diario
215. auctore in Italicum ſermonem ex Gallico translati.

p. 190. 17. BARTHOL. BATUNAE, *protomed. Graſſ. comment. de crinonibus. Goriz.* 1785. 8. *Italice ſcript.* Comedones fuiſſe hucuſque in Italia incognitos, obſeruatos ab auctore in filia nationis iudaicae, ab infirma matre nata et decimum ad vſque menſem miſera,

p. 191. MARCO POLACCO, medico Palmae nouae, in puella triginta et duorum menſium, iam vltra annum emaciata, colore liuido, cineritiis alui deiectionibus, aquo-

ſis

ſis urinis, appetitu voraci, hepate tumido et duro, pulſibus ſemper febrilibus, calloſis tuberculis, cruſtisque pruriginoſis, modo deſquamatis, modo denuo orientibus, in dimidia inferiorique corporis parte in ea animaduertendis. SENNERTVM crinones male cum draçunçulis, venaque medinenſi Arabum confudiſſe, alios varie erraſſe, ſolos VALENTINVM, VALLISNERIVM, SAUVAGESIVM, ETTMÜLLERVM, quem et in cura auctor ſequitur, rite iudicaſſe. Crinonum lanuginoſorum triangularium caput, corpore latius, duos pilos tertiam lineae partem longos, duas antennas formantes, ante ſe ferens, corpus dimidiam lineam longum, oblongum, in medio nigrum punctum habens, in angulo acuto iunctum cum cauda quadruplo longiori, ſex lanae ad inſtar ſubtilibus, duasque lineas longis, mobilibusque, quibus mediantibus vermis in habitaculum ſuum redeat, in cute ſe figente, ab auctore obſeruatum nudo et armato oculo depictum traditur. Eſſe crinonem non inter vermes, ſed cum dyſentericis et exulcerantibus ad ptera LINNAEI, referendum nomine acari crinonis infantum pedibus longiſſimis ſetaceis, anticis duobus breuioribus, cauda longiſſima, diſperſa, ſetacea. Diſſeritur poſtea de ſede crinonum, de aetate, in qua obſeruantur, de eorum ortu et effectibus, de ſigno eorum diagnoſtico, de variis morbi ab iis producti ſtadiis, quae omnia maxime ex BASSIGNOTI mente explicantur. Tandem de cura ad modum ETTMÜLLERI, commendatur tamen poſt factam crinonum extractionem lotio corporis aqua ex quatuor mercurii ſublimati granis in duabus aquae deſtillatae libris ſolutis duabusque mellis vnciis confecta; balnea frigidiuſcula, frictio manu et lacte calido omni mane ſuſcipienda, neglectio faſciarum, libertum infantum motum ad crinones expellendos neceſſarium impedientium.

p. 192.

p. 193.

p. 194.

p. 195.

18. *Ex-*

18. *Experimenta ad decompoſitionem aquae in aërem facta auctore D.* FERD. GIORGI, *Florent.*

p. 196. 1785. 8. *Ital. ſcript.* Calore moderato aquae ebullientis aquam in aërem illo atmoſphaerae aliquantum puriorem, odore empyreumatico praeditum mutatam fuiſſe, inflammabilem vero maiori caloris gradu adhibito apparuiſſe, nec adeo aquae elementalem eſſe; verae contra aquae elementa eſſe aërem dephlogiſticatum, et phlogiſticatum; hancque theoriam in combuſtionibus ſubterraneis, et ortu dephlo-

p. 197. giſticati aëris explicando multum valere. Contra quae aſſerta auctor diarii enunciata Academicorum Pariſinorum de hac re defendit.

p. 201. 19. A. C. LORRY *tentamen medicum de praecipuis morborum mutationibus et conuerſionibus, edidit poſt auctoris fata* I. N. HALLE', *Pariſ.* 1784 12. Gall.

p. 202. *ſcript.* Sunt libri tres partes. P. I. de epigeneſi ſeu

p. 241. I. quae a morbo primario, et quidem cap. 1. a vitio

p. 244. virium, cap. 2. a vitio humorum, cap. 3. a cauſis accidentalibus, videlicet med camentis, rebusque

p. 248. non naturalibus pendet. Sect. 2. de epigeneſibus a cauſis cum morbo primario neutiquam connexis,

p. 251. vel cap. 1. a fomite praeexiſtente, vel cap. 2. ab iis quae morbo ſuperueniunt, nempe mutato ſpiritu re-

p. 252. ctore animali vel vapore expanſili quorundam noſtrorum humorum; vel cap. 3. a mutationibus corporis per operationes chirurgicas productis. P. II. de

p. 281. metaptoſibus proprie ita dictis, aut ortis a volatili et fugace materiae morboſae natura, quod ſit vel

p. 283. materia morboſa per ſe multiplicata, vel eius naturam vires imminuente aut deſtruente, vel quadam corporis parte ita vitioſe comparata, vt materiam morboſam facile reforbeat, vel deprauatis noſtris humoribus ab occaſionalibus et accidentalibus cauſis, facile ad effectus morboſos hinc et illinc producendos

p. 284. determinandis; aut enatis ab agentium externorum, mate-

materiam morboſam licet fixam ſeu grauem
ad alias partes reuellentium, influxu. P. III. de p. 285.
metaſtaſibus vel iis metaptoſibus, in quibus modificatio ab ipſo malo diuerſa non, vt in illis proprie dictis, ab aucta vi cauſae morboſae, ſed a viribus naturae ſe malo opponentibus dependet. Finem impo- p. 287.
nit caput de complicatione morborum.

20. D. PAVL PINELLI *Diſſ. med de principio peſtis vrbis Spalatri etc. Venet.* 1785. *recenſ. a D.* IAC. PANZANI. PANZANI optat, vt ſigna certa et perſpicua verae indolis peſtis a quodam determinentur, p. 215.
item inter PINELLVM, peſtem Spalatri anno 1784. p. 216.
graſſantem ante duodetrigeſimum Martii diem non exortam eſſe, contendentem, aliumque inter medicum, p. 217.
initium eius iam anno ineunte ſtatuentem, ortam p. 218.
dirimere non audet; ſumma tamen modeſtia et eruditione docet, in quibusdam vndecim illorum ante dictum Martii diem mortuorum cadaueribus phaenomena contagii ſat ſuſpecta occurriſſe; axioma PI- p. 221.
NELLI, peſtem ſine eruptionibus homines ante biduum iugulare, cum experientia, peſtes lente incedere, nec ſtatim in principio timorem iniicere, luculenter demonſtrante, neutiquam conſentire; febrem p. 224.
quatriduanam in naue Rouignenſi merces ex Boſnia ferente viginti et duorum dierum ſpatio quatuor aegros menſe Ianuario anni 1784. quo et famulus noſocomii Spalatrenſis, antea eiusmodi mercaturam faciens, ſat magnis bubonibus inguinalibus affectus fuit, veroſimiliter primus Spalatri infectorum habendus, enecantem non fuiſſe putridam verminoſam, ſed verae peſtilentialem; ſubitam peſte in- p. 228.
fectorum mortem non ab ipſo contagio, irritabilitatem muſculoſam, ſenſibilitatemque neruoſam vna delente, multisque aliis pendere cauſis; miaſma peſti- p. 230.
ferum conſiſtere in parte liquidorum magis elaborata, magisque phlogiſto, inter quod et alcali ani-

male

male ſumma affinitas, ſuccedente tempore ſatur-
p. 231. tum efficacius fieri; aeſtiuo calore et hyberno ſi
gore ſummo peſtem mitiorem ideo reddi, quod ill
alcali, velut miaſmatis peſtiferi eſſentia, diſperguu
et attenuetur, hoc vero phlogiſton, velut miasmatis
p. 234. menſtruum, diſſipetur, indeque alcali illud praecip
tetur; reſpondere denique PINELLIANAM peſtis de
finitionem non omni ex parte experientiae.

p. 235. 21. P. FRANC. SCATI *compendium educationis phyſicae et moralis ad reddendos filiolos ſanos, robuſtos, durabiles, et honeſtos. Gorit.* 1784. 8. *Ital. ſcript.* Quid grauiditatis tempore, et primis pueritiae annis peragendum, rite praecipit, extricationem cochleare ſanguinis ex vmbilico ſanorum commendat, leuem cunarum agitationem permittit, valde vero damnat faſcias, thoraces, portatum infantum in brachiis, eorum ambulationem in curriculis, maxime inſitionem
p. 236. variolarum, velut fontem multarum epidemiarum varioloſarum, putans, variolas, quarum ſemen in partibus aërem componentibus non contineatur, facile exſtingui poſſe, ſi ea, quae in aliis morbis contagioſis, cautio ſtrenue adhiberetur.

22. IO. ANT. ADAMI *Diſſ. med. de oleo taiepul.*
p. 239. *Gotting. et Argent.* 1783. Hiſtoria olei, methodus ipſum extrahendi et purificandi, vtilitasque exponuntur, omnibus aliis oleis aromaticis praefertur, et teſte STROHMEYERO exemplum feminae a parentibus rheumatiſmo ſaepe vexatis natae, ab odontalgia et ſtranguria rheumatica ſolo hoc oleo liberatae narratur.

p. 253. 23. *Diſquiſitio de natura et vſu ſucci gaſtrici in*
p. 254. *medicina et chirurgia.* Praeter Iurini et Toggiae *)
256. experimenta recenſetur hic potiſſimum CARMINATI
p. 257. libellus, qui Cap. I. vſum ſucci externum in vlceri-
p. 258. bus, gangraena et cancro, quatuordecim exemplis illu-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XXVIII. p. 602. ſqq.

illuſtrat. Adhibuit vero ſuccum ex coruis atris, cornicibus cinereis frugilegis, aeque carnibus et vegetabilibus paſtis, ſtrigibus bubonibus, ardeis gruibus, falconibus palumbariis, carniuororum ſuccum maiorem quidem pruritum facere, celerius tamen ſanare: menſis enim ſpatio, fonticulo tamen et internis de- p. 259.
nique etiam adhibitis, in ſexagenaria vlcus a cauſa interna enatum viginti et ſex per annos iam durans ſanatum fuiſſe; ſuccum pecorum in tribus caſibus in- p. 260.
utilem fuiſſe; illum e falconibus petitum teſte et p. 261.
SPALLANZANIO in carie oſſium reliquis praeſtare. p. 262.
Cap. II. de vſu ſucci interno in dolotibus chronicis, contuſionibus, tumoribus lymphaticis, inflammatoriis, p. 263.
ſcrophuloſis, itemque hydrocele ſpuria. Succum bouum, vitulorum, pecorum in his morbis reſoluendi virtute pollere; ſic et in tumoribus duris venereis glandularum inguinalium, calloque extremitatum ſuccum carniuororum et omniuororum celeriter profuiſſe; tentandum eſſe in rheumatiſmo chronico, arthritide, paralyſi; tantum vtendum eſſe ſucco ſanorum anima- p. 264.
lium, in quibus digeſtio omni ex parte abſoluta fuerit; SPALLANZANIVM ex quinque cornicibus paucos intra dies tredecim, triginta et ſex vero vncias ſucci ex duobus prioribus pecorum per biduum ieiunorum ventriculis obtinuiſſe. Cap. III. de vſu ſucci interno in morbis ventriculi, febribus gaſtricis et intermittentibus. Primum eſſe in his morbis adhibitum a D. MONGIARDINI. In vlcere ventriculi ſuccum p. 265.
carniuororum, aqua dilutum, et doſi duarum triumve drachmarum vel minori exhibitum, ſemper dolores auxiſſe; eundem in febribus gaſtricis nociuum p. 266.
fieri poſſe, quum excretiones inteſtinorum retardet et imminuat. In reliquis ſentit vt IVRINVS. Cap. p. 288.
IV. de examine chemico via humida et Cap. V. via ſicca facto. Examinauit ſuccum decem ardearum graium, et ſex nycticoracum, quinquaginta et duarum

ſtrigum

ſtrigum flammearum, octoque paſſerinarum, et qu
p. 289. tuor falconum buteonum, multorum animalium fe
p. 293. giuorum, herbiuororum non ruminantium, et ru
minantium, nec non omniuororum, inter quos ho
p. 290. mines. Ex quo examine praeter ea, quae a SEN
NEBIERIO *) iam enarrata, apparuit, ſuccum cuni
p. 292. rum cum illo frugiuororum, eum porcorum, et ru
lorum lactantium nondumque herbis veſcentiu
p. 293. cum illo carniuororum conueniſſe, eum animali
carnes et vegetabilia aequa quantitate edentium ſe
p. 294. per ſpumoſum et neutrum, ſtatim autem, iis ſa
carne ad edendum data, in acidum mutatum fuiſ
p. 296. omnes ſuccos gaſtricos proprie vere neutros ſ
et ex tribus principiis componi, aqua in humano c
pioſiſſima, in ruminantibus parciſſima, pauxillo ſa
marini et ſubſtantia animali, reliqua vero eorum
p. 297. principia deberi alimentis, velut acidum, ſal amm
niacum, et reſinam carnibus, et in vitulis lacti. Ca
VI. de vi ſeptica vel antiſeptica ſucci gaſtrici. Con
p. 298. firmantur SENEBIERII obſeruationes, et docetur
antiſepticam virtutem pendere a ſale marino, quod
ſi eius ſufficiens adſit doſis, maiorem humidi partem
attrahendo id efficiat, e contra vero, ſi exigua tan
tum doſis, corruptionem acceleret, et ſepticum ſuc
alcaleſcentem ruminantium ſuccum gaſtricum a ve
getabilibus iam putreſcentibus ortum eſſe; ſal am
moniacale in ſucco carniuororum vitulorumque la
ctantium reperiundum in vlceribus ſanandis eum
p. 299. profuiſſe; ſuccum gaſtricum mediocriter acidu
drachmas duas carnis recentis vitulinae cum vnc
vna aquae fontanae, et granis quinque ſalis comm
nis (tot enim grana in vncia vna ſucci gaſtrici aut
carniuorarum contenta fuiſſe) in lagena bene obt
cta gradu ignis trigeſimo thermometri Reaumuria
per ſedecim horas digerendo parari poſſe; hunc

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXVIII. p. 605.

rte paratum noua carne addita denuo digeſtum qua-
itate, et vti in vulneribus ſanandis expertum, effectu
lane ſimilem eſſe liquori gaſtrico carniuororum;
undem, ſi irritatio cauenda, minori ſalis doſi addita,
arandum eſſe, acidum enim ex carnibus ſine hoc ſale p. 300.
xtrahi poſſe; ex carnibus reuerberio ignis ſine aqua
bjectis paucorum minutorum ſpatio acidum euol-
i, et tum ſtatim vulneribus eſſe imponendas, ſaepe
ero renouandas; mineralium cum liquoribus ven-
riculi et inteſtinorum commixtionem negari non
oſſe, licet ſulphur, cinnabaris, aethiops mineralis,
ntimonium crudum, et diaphoreticum ablutum,
alx ferri, floresque zinci, ab adhibitis variis liquori-
us gaſtricis, maxime humano, diſſoluti non fuerint.

24. D. GVIL. WITHERINGII, *med. noſoc. Bir-* p. 272.
*ingham. libellus de digitali purpurea, eiusque vſu in
edicina, cum nonnullis animaduerſionibus practicis de
ydrope et aliis morbis. Birmingham.* 1785. 8. *Anglice
cript.* Planta ſecundum LINNAEVM deſcripta, ſe- p. 273.
undum CVRTISIVM depicta, variique auctores de
ius vſu adducti ſunt; ex centum ſexaginta et tribus
ropriis, multisque aliorum obſeruationibus, maxi-
am partem fauorabilibus, efficitur, digitalem pol-
ere conſtantiſſima vi diuretica, omnibus diureticis
uoad effectum placidamque actionem praeſtare, in
ydrope vero paralyſi, viſceribus debilibus, aliisque
orbis accedente, lenire tantum, locumque dare re-
ediis primarium morbum tollentibus, tantamque
im in motum cordis habere, vt pulſum intra mimu- p. 274.
um ad triginta et quinque ictus reducere valeat.
olia reliquis partibus etiam vtilibus praeſtare; pul-
eris eorum vnum vel tria grana bis de die adultis
ut per ſe, aut aromaticis, vel in pilulis ſaponi et gum-
ni ammoniaco admixta, debilibus quatuor tantum
rana quotidie eſſe propinanda. Et in infuſo, nec
on robuſtis ad triginta vſque grana quotidie dari

p. 275. poſſe. In vſu eius, vſque dum effectus vel in rene, vel in primas vias, vel in pulſum ſe prodat, tantum continuando ſatis bibendum hydropicisque ſalina applicandam eſſe. Robuſtos fibra, et pulſu tenſa cute calida praeditos venaeſectione, purgantibus e ſquilliticis antea eſſe praeparandos. In laxatis hydropibus, et vbi ſtructura partium, vel fluidi conſiſtentia laeſa, perparum, in complicatis ab humore paralyſin vaſorum et ſtructuram partium contentium et contentarum laeſam non reſorpto pendentibus tantum palliatiue, in iis vero a paralyſi vaſorum
p. 276. his tonum reddendo multum efficere digitalem, aliis paralyſeos ſpeciebus forte efficacem.

25. *Epitome nonnullorum aliorum experimentorum de decompoſitione aquae in aërem reſpirabilem publicatorum diebus* 5. 6. 7. *April.* 1786. *a D.* VIVIANI GIORGI. *Italice ſcript.* Sunt facta, vt certior reddaretur de aëre ex aqua vere euoluto.

p. 313. 26. D. ANDR. DOUGLAS *Obſſ. de caſu extraordinario*
p. 314. *nario rupti vteri. Lond.* 1785. 8. *Angl. ſcript.* Foetus
p. 315. ex abdominis cauo, in quod, vtero non procul a collo
xu cum vagina inferiora et anteriora verſus tranſuerſim
p. 316. ſim lacerato, paucis horis poſt iterum conſtricta, vna
cum placenta illapſus erat, feliciter extractus, et aegra
tricenaria menſis vnius cum dimidio ſpatio plane re-
p. 317. ſtituta fuit, ſymptomata vero eam angentia ab irritatione viſcerum abdominalium a foetu facta oborta ſunt.

27. BAUME *expoſitio operationum et productorum curſus chemici, noua edit. in lingua Italica, auctа variis notis medicis, chemicis et pharmaceuticis a D.* IO. MARIA MAZZI, *med. ord. noſoc. mai. Mediol. qui adiunxit breuem expoſitionem omnium praecipuorum fontium mineralium Italiae, T.* 2. *Mediol.* 1785. 8. Notarum
p. 318. nonnullae, quae poſt BAUMII librum editum nouiter detecta ſunt, exponunt, plurimae ſuccincte medicamina variarum praeparationum, v. c. mercurialium, ferri, anti-

antimonii, camphorae, lactis, facultatem illuſtrant.
Expoſitio fontium Italiae ex aliis libris ita hauſta eſt,
vt horum errores emendati, et plenaria illorum fon- p. 319
tium, quoad qualitatem et vſum, cognitio principiis
recentiorum accommodata fuerit.

28. *Epitome experimentorum de decompoſitione aquae, auctore* FEL. FONTANA, *Florent.* 1785. *Italice ſcript.* Non comprobatam eſſe cenſet aquae p. 320.
in dephlogiſticatum et inflammabilem aërem decompoſitionem, putatque in experimentis academiae Pariſinae aerem inflammabilem eſſe productum a phlogiſto ferri vni aquae parti vnito, dum altera ſe ante cum ferro phlogiſto deſtituto et in cryſtallos reducto coniunxerit. Quod ſi non fiat, nunquam inflammabilem, ſed atmoſphaericum illo laboratorii peiorem obtineri, et ex tubis ipſis ab aqua in vapores expanſa expelli. De quo INGENHOVSIVM et LORGNAM literis certiorem fecit.

29. *Examen mali rubri Cayennenſis, vel elephantioſis inſtitutum ab iis, quibus ſoc. reg. med. Pariſ. hoc demandauit publicique iuris factum iubente Rege. Pariſ.* 1785. *Gall. ſcript.* Morbi huius, quem et lepram vocant, ſymptomata ſecundum SCHILLINGIVM, cauſa proxima ad mentem LORRY, complicatio cum aliis morbis, variaeque eum curandi methodi exponuntur. p. 333.

30. *De ſanguine et de ſanguineis concretionibus per anatomen indagatis et pro cauſis morborum habitis quaeſtiones medicae, auctore* IOS. PASTA, *Bergam. protophyſ. etc. Bergam. ap. Locatell.* 1786. 8. *mai.* Ad mentem GVARINONI et ANDR. PASTAE auctor p. 338.
contendit ſanguinem grauitate ſua ſpecifica in loeis pro ſitu moribundorum maxime decliuibus colligi; collectiones iſtas vero varia cadauerum pertractatione, compreſſione quorundam vaſorum, intumeſcentia abdominis diaphragma et cor cum vaſis ſurſum premente quandoque mutari poſſe; nunquam au- p. 341. p. 339.

tem eas pro morborum cauſa, ſed pro mortis effectu
p. 342. habendas eſſe; morbos capitis potius ex peruerſa
fibrarum cerebri et neruorum actione explicandos
p. 344. eſſe; ſe nunquam a ligatura arteriarum, velut cruralis, quam viginti demum diebus poſt ligaturam ſa-
p. 345. ctam ſupra eam inciderit, polypos oriri, nec ex inciſis venis fruſta polypoſa exeuntia animaduertiſſe, LANCISIO igitur et PETITO neutiquam aſſentiendum
p. 346. eſſe, nec LEEUWENHOEKIO, qui in vaſis viuorum inſectorum globulos ſanguinis tantum diſcernere
p. 347. non potuerit; diſcriminis inter veros ſpuriosque polypos characteres a MORGAGNIO aſſumtos eſſe inſufficientes; viri huius et HALLERI de polypis in aneuryſmatibus opiniones plane eſſe reiiciendas, polyposque nunquam in vaſis viui animalis generari.
p. 349. 31. EDVARD. ALANSONI *methodus membra amputandi, ex Angl. in Gall. translat. a* LASSO, *Prof. chir. Pariſ.* 1784. 12. Praecipua huius methodi ſunt: reiicit lorum, quo cutis valentius adſtringi ſolet, velut ſpaſmos, vehementioremque febrem pariens; iubet muſculos vſque ad os ita oblique diſcin-
p. 350. di, vt acies cultri oblique ſub integumentis tres quatuorue digitos tranſuerſos altius, quam inciſione circulari vel perpendiculari fiat, ad os perueniat; praecipit, vt cute muſculisque arcte coniunctis vulnus longitudinalis angulosque alterum ſuperiorem, alterum inferiorem habentis labia accurate conglutinetur, et vt truncatum os nonniſi duos tresue digitos ſuper lecti ſuperficiem teneatur; polliceturque, in
p. 351. in truncato oſſe fieri circulationem validiorem et celeriorem, imminui periculum exfoliationis, accelerari cicatricem, (quae ſemel in amputato crure vix deuiginti dierum ſpatio enata;) febrem vel eſſe nullam vel exiguam, ſuppurationem eſſe parciſſimam, impediri ſpaſmos in aliis methodis a corporibus labia vulneris inter poſitis productos, vt et truncatum os

os ad ligneum v. c. pedem ferendum aptius reddi. Quae ad incommoda a peruerſo aëre orta auertenda fieri debeant, et quod ſuppuratione largiori debiliores frequenter extra lectum, fortiores in ſitu horizontali tenendi ſint, etiam docetur. p. 352.

32. *Meditationes et coniecturae de ſubſtantiis vegetabilibus et animalibus, quoad partim formant corpora organica, partim decompoſitioni obnoxiae ſunt.* Baſin aëris inflammabilis commune eſſe vegetabilium et animalium principium; in his ſenſim magis ab aëre puro ſeparari, alcalique volatili ab eadem baſi per quandam fixi ſeu phlogiſticati aëris partem ligata formari; eandem baſin, acido nitroſo digeſtam, teſte BERTHOLLETO et SAVANO, largiri acidum ſacchari in animalibus oleo ſingulari coniunctum; acidum hoc quaſi intermedium eſſe inter acidum tartari aëris dephlogiſticati minus, et acetum radicale, eiusdem aëris plus continens; baſin aëris inflammabilis verum eſſe principium radicale omnium acidorum, pro diuerſa illius puritate vel tenuitate variorum, baſin vero dephlogiſticati aëris principium acidificans; vtramque baſin cum fluido electrico tria conſtituere corporum elementa. Eſſe porro baſin aëris inflammabilis verum principium vitale, fluido electrico ex arteriis conſtrictis in eam abeunte expanſile redditum. Baſi eadem ab omnibus heterogeneis, inprimis a baſi aëris dephlogiſticati, ſeparata, nouiterque vel cum ſuis elementaribus partibus, vel cum vapore electrico, vel cum alio quodam principio coniuncta oriri phoſphorum, ex cuius cum aëre dephlogiſticato vnione enaſcatur acidum phoſphoricum in vrina et humore perſpirabili manifeſtum. In lite de acido calculorum, et alcali volatili tophorum arthriticorum dirimenda nil certi quidem ſtatuendum eſſe, aſſerendum tamen, materiam podagricam accedere ad naturam calcaream cum ſubſtantia p. 361. p. 364. p. 365. p. 369. p. 402. p. 409. p. 461. p. 463. p. 464.

animali, in phoſphorum facile tranſeunte, commu-
p. 465. tam. Igitur acidum phoſphoricum in iis, qui arthri-
tidi et rheumatiſmis obnoxii, nonniſi poſt vehemen-
tes paroxyſmos animaduerſum, ex intima particu-
rum phoſphoricae materiae, in iſtis aegris vere abun-
dantis, inter ſe cohaeſione explicandum eſſe. Idem
denique acidum veroſimiliter multum facere ad ca-
tarrhos, pleuritidem, febres, et morbos neruorum.
p. 370. 33. *Analyſis cremoris tartari ſolubilis* BERGII,
epiſtola ad Ill. D. MATTH. CALVI, *med. Ventt. Patau-*
p. 371. *ſcript. ab* A. D. G. cui CALVI eam demandauerat.
Tradita cremorem ſolubilem parandi methodo et
p. 373. commentariis Edinburgenſibus boracisque et cre-
p. 374. moris tartari ſimplicis partibus conſtituentibus de-
ſcriptis, varios ſuos proceſſus chemicos diſtincte ex-
p. 417. ponit, ex quibus patet, contineri in cremore ſolubili
ex quatuor libris cremoris ſimplicis et vna boracis
parato ſalis cryſtallini floccoſi, ex quinque partibus
tartari mineralis, et tribus tartari calcarei compoſiti,
quatuordecim drachmas, cremoris tartari ſimplicis
libram vnam et duas vncias, et materiam quandam
ſalino-gummoſam, quam tremoris tartari ſimplicis
libra vna duaeque drachmae, tartari vero ſolubilis
WILLISII, acidi boracis, et tartari ſolubilis mineralis
ana quinque vnciae, tres drachmae cum ſcrupulo
p. 416. vno conſtituant, et quae ex tartaro ſedatiuo, et ſale
vegetabili ſedatiuo compoſita, tartaro minerali ſolu-
bili cum acido boracis modificata, nominari poſſet
p. 417. tartarus ſolubilis mineralis ſedatiuus; harum parti-
cularum tamen proportionem pro varia cremoris
tartari aciditate, eademque et alcalina varia boracis
natura differre, perdi in parando cremore ſolubili
p. 420. decem circiter vncias; acidum cremoris illudque
boracis vtique mutari in tertium ab vtroque illo di-
p. 422. verſum; cremoris ſolubilis in aqua maiorem mino-
remue ſolubilitatem a maiori minoriue tartari calca-
ri

rei in eo reperiundi quantitate pendere, neceſſe igitur eſſe, ad hunc, quantum fieri poſſit, ſeparandum, vt liquor ex cremore et borace ebulliendo paratus in loco frigidiuſculo, vſque dum pellicula appareat, euaporet, ad perfectam denſitatem refrigeretur, quintupla aquae ebullientis quantitas denuo infundatur, nouaque euaporatio fiat, vſque dum puluis ſextam totius ponderis partem aequans remaneat. Docet etiam, Italos, inprimis tenella fibra praeditos, vim cremoris ſolubilis refrigerantem, antiſepticam et diureticam a minori doſi experiri, eodem vero valde purgari, et nauſeam, vomitumque pati, cum ob acidi ſalinique ſaporis diſſonantiam, tum ob vehementem tartari ſedatiui, velut praecipui ingredientium, aciditatem; exponit igitur, quae ad ſalſedinem abſcondendam, aciditatemque mitiorem reddendam addenda ſint. p. 410. p. 424. p. 424.

34. *Obſeruationes et diſquiſitiones medicae ſocietatis medicae Londinenſis, Vol. VI. Lond.* 1784. 8. p. 381.

Elogia FOTHERGILLII, SOLANDRI, HVNTERI, quorum morte editio huius voluminis retardata fuerit. GIR. WRIGHT *hiſtoria ſanguinis in pericardium effuſi.* Militis magna pondera ferendo in ſupinum lapſi vena caua intra auriculam pollicis longitudine rupta, pericardium cum venis maioribus ſanguine coagulato valide extenſum, cor vero corrugatum fuit. p. 382.

IOH. MASON *de duobus hydropicis, moderato opii vſu feliciter ſanatis.* IO. HALL *de aneuryſmate aortae, et carotidis ſiniſtrae, intra tracheam rupto cum icon. Hiſtoria morbi* HOLDERI *a* RICESTR. BROWN CHESTONO *deſcripta*, in Vol. VI. diarii medici Londinenſis tertia parte vberius expoſita. Mortuus eſt anno aetatis quinquageſimo, a vigeſimo ſecundo, quo ictero, calculi biliarii magni excretione ſublato, laborauit, multis bilioſis per os et anum euacuationibus, cum dolore coniunctis obnoxius, quatuorque per annos p. 383.

p. 354. ante mortem primo tantum, cum iret, poſtremo etiam
in omni corporis, praeter horizontalem, ſitu perce-
pit moleſtam in pectore ſub ſterno ſenſationem, ſen-
ſim vehementiorem, totum tandem pectus occupa-
p. 385. tem, ſibilo velut aquae currentis, ab adſtantibus
etiam animaduertendo, carotide vero preſſa per ali-
p. 386. quod tempus ſupprimendo, ſe manifeſtantem, quan-
p. 387. doque, et interdiu remittentem. Cordis ſolito lon-
gioris et acutioris auricula dextra dilatata et inflam-
mata fuit, ventriculi, quorum dextri parietes firmi-
tate et colore deſtituti ac tranſparentes, loco ſangui-
nis multum aëris, etiam interſtitia chordarum tendi-
nearum replentis, ſiniſter et multum pinguedinis
continuerunt; vtriusque ventriculi ſuperioribus la-
certis adhaeſit, duasque caui tertias occupauit con-
cretio flaua et denſa, quae tamen in ſiniſtro minor,
p. 388. obſcurior et mollior, quatuor pollices in cauam ſu-
periorem, vnum in inferiorem, vnum cum dimidio
in aortam protenſa, in vaſisque magis lymphae co-
p. 389 agulatae ſimilis. MATTH. DOBSON, IOH. HVNTER
p. 433. *et* HAYGARTH *de efficacia mercurii in hydrocephalo*
interno. IO. FOTHERGILL *de cura epilepſiae et ve-*
naeſectione in apoplexia. Cauſam epilepſiae praeci-
pue in diſtenſione ventriculi, eiusque et inteſtino-
rum repletione ponit, valerianaeque, caſtorei, ſimi-
liumque medicamentorum ſalutarem effectum in
p. 434. aegrorum appetitu iis imminuto deriuat. Venae-
ſectionem damnat in apoplexia, quem morbum ma-
gis ſaburrae inteſtinorum adſcribit, docetque, ex
p. 435. exemplo comprobat, apoplexiam ſaepe oriri a capitis
obiectorum retropoſitorum videndorum gratia ſolo
ſine reliquo corpore retrorſum verſo, carotidibus
nempe tum plus ſanguinis verſus caput pellentibus,
iugularibus vero minus reuehentibus. TH. GERT
p. 436. GVILLVM *de tumore cyſtico aquoſo, poſteriori veſicae*
parti, totique recto adhaerente, letalem vrinae ſuppreſ-
ſionem

ſionem producente. IO. FOTHERGILL *de cephalaea,* p. 437.
quam auctor diarii a SAUVAGESIO vomitus cephalalgici nomine inſignitam eſſe ait; in ſedentariis diaetam negligentibus, et alui ſegnitie laborantibus animaduertendam. DAV. MACBRIDE *ad* FOTHERGILLVM *de angina pectoris.* Per tres annos aegram male habuit, diaeta, alterantibus, et duobus fonticulis in femoribus applicatis feliciter tandem curata eſt. Oſtenditur etiam, cur Hiberni prae Anglis rarius hoc morbo afficiantur, ſpaſmusque cordis cauſa immediati paroxyſmi habetur. Addit auctor diarii MALCOLMII MAEQUEENII obſeruationes de hoc morbo ex quinto diarii medici Londinenſis volumine. Podagra irregularis cauſa morbi fuit, qua regulari facta hic ceſſauit. Hoc et alio caſu analogia inter hunc morbum, et aſthma flatulentum vel ſpaſmodicum, aromaticorumque et ſtimulantium in eo praecauteriis in femoribus vtilitas demonſtratur. Auctor diarii fomentorum aromaticorum calidiſſime regioni ventriculi applicatorum, et aetheris vitriolici interne adhibiti vſum in dolore regionis ſterni, et conſtrictorio antibrachii a podagra irregulari ſubito ſopiendo confirmat. I. A. SEGUIERA *de impotentia deglutiendi ſpaſmodica vnguento mercuriali curata.* GVIL. WRIGHT *de vtilitate balnei frigidi in triſmo.* Omni bi- vel quadrihorio dua vel tria aquae vaſcula aegris infuſa ſunt, in quatuor tamen opium ſimul propinatum. A. DOUGLAS *de tuſſi ſingulari.* Aquae Luciae, naribus applicatae vſus ſolus profuit. S. MITCHELL *de incontinentia vrinae vſu ſpecilli flexilis curata.* Fluxit vrina per vaginam, quae poſt partum forcipe adiuuandum ſuppurata prope veſicae collum cum vrethra communionem habuit; ſpecillum in vrethram per tres ſeptimanas immiſſum fuit. Curam hanc corpore veſicae laeſo non valere, monito et exemplo HVNTERI confirmatur. MATTH. POBSON

p. 438.
p. 466.
p. 467.
p. 468.
p. 469.
p. 470.
p. 471.
p. 472.
p. 473.
p. 474.
p. 475.

DOBSON *ad* FOTHERGILLVM *de commodis refuſcitati*
ptyaliſmi in curandis variis ſymptomatibus anomalis
p. 476. ad modum SYLVESTRI. IO. SMITH, MARE WALL.
IO. LANGFORD *ad* HVNTERVM *de praeternaturali*
affectione cerebri. Concretio oſſea, dimidio pollicis
maior et ſolido (*ſcellino*) craſſior, inaequalis, falci e
ſinui longitudinali ſiniſtri lateris adhaeſit, ſubſtan-
tiamque cerebri, eiusque matres e ſpina ſuperiori
tranſuerſali occipitis ſecum coniunxit. Vehemens
p. 477. in caput ictus cauſa viſa eſt. IO. FOTHERGILL *de*
diarrhoea habituali a certa acrimonia irritante humo-
rum pendente, et cum magna debilitate ac irritabilitate in-
teſtinorum coniuncta, paruis ipecacuanhae doſibus ſana-
p. 478. *da.* LLOYD *de tumore flatulento capitis aperto et*
curato. A lapſu ab equo ſenſim natus fuit, ſibilum
in aure ſiniſtra, vertiginem, nauſeam, torporem ar-
tuum, praecipue ſuperiorum, produxit, et duodecim
menſibus elapſis apertus nil niſi aërem reddidit, cra-
nio tamen in tota tumoris extenſione carie erosa,
fauoque ſimili. BRVMWELL *de periculoſis effectibus*
p. 479. *ab eſu baccarum maturarum belladonnae.* IO. HOF-
MANN *de iisdem in cane pecuario et ſymptomatibus ei*
hydrophobiae ſimilibus a duabus camphorae drachmis
in vertago. SAM. CROKKING *de calamo ſcriptorio*
duodecim pollices longo, ex oeſophago, in quem illapſus,
feliciter extracto. GEO. PEARSON *de morbo dextri*
p. 480. *renis.* Fuit hinc durus et denſus, illinc mollis et
cedens, cellulis fluido viſcoſo et materia pultacea
plenis inſignis, in variosque lobos conuolutionibus
inteſtinorum impoſitos diuiſus, et circiter ſeptende-
cim librarum pondus habuit. Aegri, pueri quin-
quennis, incommoda modo vermibus, modo aëri
veſiculari, adſcripta ſunt; ſemelque et paracenteſis
p 482. tentata. ALEX. MONRO *et* CAROL. WEBSTER *de*
ſimili morbo renis ſiniſtri libras quinquaginta et
quinque pondere aequantis. GEO. PEARSON. *de opii*
utili-

vtilitate in retentione vrinae periculoſa. A gonorrhoea et inflammatione vrethrae oborta fuit, et omni quadrihorio vnum extracti thebaici granum propinatum. GEO. LVCAS *de cataracta.* Damnatur extractio, laudatur depreſſio acu rotunda, nondum dimidiam drachmam ponderante, quatuor pollices cum dimidio longa. p. 433. GVIL. HVNTER *de incertitudine indiciorum infanticidii;* inprimis illius ex pulmonum examine capti: cenſet praeterea, pauciſſimas foetum ſuum conſulto enecare. p. 485. GVIL. HVNTER *tres caſus vitioſae cordis conformationis.* In puero, tredecim tantum dies viuente, in quo motus cordis violentus diſtincte videndus, cauitas ventriculi ſiniſtri vix ſenſibilis, et arteria pulmonaris in ortu ſuo imperuia, ſolido funiculo ſimilis fuit, ſanguisque ex cauis per foramen ouale et ventriculum ſiniſtrum in aortam, et ex hac, canali arterioſo mediante, exigua ſanguinis pars in ramum ſiniſtrum arteriae pulmonalis tranſiit. In puero tredecenni, ſaepe cordis quaſi oppreſſioni obnoxio, arteria pulmonalis in ortu ſuo ita conſtricta, vt vix minimum ſpecillum inferri potuerit, ſeptumque cordis in huius baſi perforatum fuit. Similis ſepti perforatio, tranſmiſſioni pennae anſerinae maioris locum cedens, in ſemeſtri puero obſeruata eſt. p. 486. p. 487. GVIL. HVNTER *de dolore ventriculi cum frequente et violento vomitu, magnaque debilitate et macie.* Curata ſunt haec incommmoda parcioribus lactis doſibus exhibitis. p. 488. p. 489. GVIL. HEY *de ſimilis dietae ſalutari effectu in vomitu obſtinato.* p. 490. TH. WHATELY *de morte apparente a deglutita dimidia vncia opii.* Intra duodecim horas quinquaginta grana tartari emetici prius, quam in vitam reuocatus fuerit, data, nilque opii in vomitu reiectis animaduerſum eſt. p. 491. IO. FOTHERGILL *de morbo epidemico Londini exeunte anno* 1775. *obſeruato.* Fuit analogus morbo, quem Ruſſicum vocant. MORRIS *de letali morbo*

ſtoma-

ſtomachi HENR. WATSONI. Fuit perpetuus vomitus productus a multis tuberculis intra pylorum conſtitutis, tranſitum in duodenum impedientibus.

p. 392. 35. BERTRAND DE LA GRESIE *de cura herpetum c. obſſ. de efficacia extracti dulcamarae in iis. Gall.*

p. 393. *ſcript. Pariſ.* 1784. 12. Datur a ſex granis ſenſim ad drachmam vſque, prodeſt etiam in aliis cutaneis morbis, rheumatiſmisque frigidis et inueteratis, vt et herba externe, vt reſoluens.

p. 394. 36. RETZII *Obſſ de natura, cauſis, ſymptomatibus et cura morborum epidemicorum quotannis Rupifortii regnantium et ſubinde in maiori parte prouinciarum Galliae occurrentium. Gall. ſcript. Pariſ.* 1784. Sententia auctoris de paludibus Rupifortium circumdan-

p. 395. tibus non pro cauſa epidemiae habendis ab auctore diarii refutatur, iudicio S. MART. COM. DE BRIOUDE de hoc libro ſimul allato.

37. FRANC. PLACK *de vera diabetis cauſa in defectu aſſimilationis quaerenda. Gotting.* 1784. Omnes aliae theoriae excluduntur.

p. 397. 38. FRANC. BURTIN *diſſ. circa quaeſtionem, quaenam vegetabilia indigena in humilibus regionibus domeſtorum vitae vſuum reſpectu exoticis ſubſtitui poſſint, an.* 1783. *ab academia ſcientiarum et literarum Bruxellenſi praemio ornata. Gall. ſcript. Brux.* 1784. 8. *pagg.* 187. Vegetabilia ſubſtituenda ordine alphabetico ad ſyſtema LINNAEI proponuntur. Gummi arabico radix althaeae, cortici Chinae in febribus intermittentibus cortex durus lignoſus perſici ſubſtituitur, cortice Chinae ille ſalicis ſuperior iudicatur, et cortex internas nucis diuiſiones formans vt potentiſſimum antiſepticum in gangraena commendatur.

p. 399. 39. LE ROUGE *de herniofis. Gall. ſcript. Pariſ.* 1784. 12. *pag.* 35. Commendatur ad hernias, non autem magnas habituales et antiquas, ſine faſcia retinendas, emplaſtrum ex farinae Valloniae, reſinae-

que

que ſiccae pini ana vnciis duabus, vitrioli martis calcinati vna ſeuique dimidia.

40. CHANDLER *de diuerſis theoriis et curis apoplexiae et paralyſis. Angl. ſcript. Lond.* 1784. Cum CVLLENO conſentit, putat tamen, ſtimulantia in paralyſi non ita raro neceſſaria eſſe. p. 406.

41. FVLLER *de cura ſubmerſorum et ſuffocatorum in vniuerſum. Angl. ſcript. Lond.* 1784. In ſubmerſis ſcintillas extrahendas, et ex animali viuo in corpus pro mortuo habitum ſanguinem transfundendum eſſe ratur.

42. *Obſſ. de vſu medico lacertarum, epiſt.* FR. TREVISANI *ad* I. B. MARZARI. *Italice ſcript. Caſtelfranco* 1786. Vlteriora cum lacertis inſtituit experimenta 1. in femina illa cancro faciei affecta, de qua ſuper ad ZVLIANVM ſcripſit, quae quotidie vnam viridem lacertam (*ramarri*) ſine nauſea primum cum leuamine ſumſit, tandem tamen cancro vlterius progrediente obiit; p. 425. 2. in viro tricenario mercurialibus nunquam vſo, qui duas magnas lacertas quotidie deglutiuit, primum vrinae et ſaliuae fluxu copioſo iis promoto, nocturnisque doloribus exoſtoſibusque fugatis, cubitique mobilitate reddita, tum vero, tres licet lacertae datae, cubitoque mercurius inunctus fuerit, nullo inſigni commodo animaduerſo. p. 426. 3. in femina lue venerea et tandem cancro faciei affecta, cui vna magna, vel duae paruae (*lacertole*) lacertae cum ſaturato infuſo guaiaci quotidie datae nil leuaminis niſi nocturnorum dolorum imminutionem, attulerunt, et in qua et alia nunc facit experimenta cum arſenico, propediem publicanda. p. 427. Quaerit igitur, num lacertae Amatitanae vere ſpecifica illa virtute polleant, an vulnera iis curata vere cancroſa fuerint. Additae ſunt obſeruationes IO. BAPT. PALLETTAE in noſocomio Mediolanenſi factae ex P. VI. Vol. VIII. opuſculorum Mediolanenſium. p. 428. Ex quibus p. 429.

bus patet, lacertas vulgares licet vni aegro quoties tandem viginti et quinque datae fuerint, in cancro facrei et vteri nil praeſtitiſſe, ſudorem, vrinam et liuam, non tamen in omnibus pari modo, vehementius mouiſſe, in pulſu autem et canali inteſtinorum nullam mutationem produxiſſe; easdem in vlceribus ſcrophuloſis pectoris et colli, vti et oleum eorum ad modum SCVLTETI paratum in illis pe-
p. 430. ſanandis multum valuiſſe. Auctor diarii ſua experientia docet, lacertas in cancro et ſcirrho nihil, lue venerea aliquid tantum leuaminis attuliſſe.

43. THOM. WHITE *tractatus de ſtrumis vel ſcrophulis. Angl. ſcript. Lond.* 1784. 8. Negat, eſſe hereditarias, cauſas earum ex abuſu rerum ſex non
p. 431. turalium repetit, variam earum ſedem exponit et
p. 432. terne fomenta ex aqua calida, interne mercurium dulcem, cui tamen, ſi infantes eo vti nolint, vnguentum mercuriale ſubſtituendum, et alia mercurialia ac ſaturnina externa commendat.

p. 438. 44. *Delectus opuſculorum medicorum antehac in Germaniae diuerſis academiis editorum, quae in vſum rum commodum collegit, et cum notis hinc inde auctis cudi curauit D.* IO. PETR. FRANK. *med. clin. in*
p. 439. *Acad. Ticin. prof. Vol. I. Ticini* 1785. 8. Continet GATTENHOFII de hypochondriaſi; SCHOENHEIDLII an ſectio anatomica cadaueribus autochiria ſuppectis; WIENHOLTII de inflammationibus viſcerum hypochondriacorum occultis; SCHAERLICHII de vſu opii in febribus intermittentibus, MVNCHII de belladonna efficace in rabie canina remedio, editorisque, qui in epiſtola addita Italos ad politiam fugam medicam locupletandam inuitat, de laruis morborum bilioſis commentationes.

45. *Theſaurus medicus Edinburgenſis nouus, ſeu diſſertationum in academia Edinenſi ad rem medicam pertinentium ab anno* 1759. *ad* 1785. *delectus, ab illuſ-*
tri.

ſoc. reg. med. Edinb. habitus. T. 2. Edinb. et Lond. 1785. 8. Primum tomum, diſſertationes ab 1728. ad 1758. continentem GVIL. SMELLIE in 2. Voll. anno 1779. ediderat. Tomi huius duo volumina triginta et ſex complectuntur diſſertationes. p. 440.

46. *Ciſtalgia helminthica, obſeruatio D.* PANZANI; quinquagenarius doloribus in regione veſicae centro oſſis ſacri reſpondente, cum conſtrictione funiculi ſpermatici et teſticuli dextri, quandoque et ſtranguria coniunctis, vltra ſex menſes cruciatus, in quo per tres annos et diutius varios in regione renum dolores perpeſſo, ſaepeque ſabula per vrethram excernente ſuſpicio calculi renalis enata, ideoque catheter non applicatus fuit, noctu ſtatim ab omnibus illis malis liberatus eſt, excretis per vrethram vna cum vrina ſanguinolenta verm bus duobus duos pollices longis, in maiori ſua diametro vnam lineam aequantibus, colore rubicundis, ex annulis circularibus, tunica membranacea, cuius fibrae longitudinales erant, mediante connexis, compoſitis, oculis carentibus, in extremorum acutorum vno lamella lenticulari cornea, et ſub hac cauo rotundo, pro ore habendo, inſtructis, adhuc viuis, quodammodo lumbricis inteſtinorum ſimilibus. Ab his enim forte ideo tantum diuerſos fuiſſe, quod ex pariete veſicae interiori immutabile quoddam alimentum, ſanguinem nempe, lenticulari illa lamina mediante ſe affigendo et ſugendo acceperint. Referendos eos etiam eſſe ad congenitos, quippe qui ab aduentitiis, in ſolis inteſtinis reperiundis, probe diſtinguendi, in corpore animali ex germinibus, in hoc ratione non certo cognita illatis, calore et humiditate euoluantur. Germinum vero talium extra corpus animale exiſtentiam vermium animalium cum terreſtribus ſimilitudine, vti et hypotheſeos de germinibus diſſeminatis veritatem variis in regno animali obſeruatis phaenomenis p. 441. p. 442. p. 443. p. 457. p. 446. p. 454. p. 455. p. 456. p. 452.

p. 450. nis, maxime vero multiplicatione eo frequenciori quo minus gaudeant animalia organis eſſentialibus v. c. oculis, cerebro, corde, genitalibus, valde
p. 446. probari. Vermes denique viarum vrinariarum variis adductis obſeruationibus, alias etiam ſedes illuſtrantibus patet, non frequenter quidem
p. 457. non tamen adeo raro occurrere; eorum tamen
p. 459. gnoſin incertam, curationem fere nullam eſſe; a curio enim in veſicam iniiciendo parum eſſe ſtandum, quum lumbrici inteſtinales in
p. 458. per biduum viui et agiles permanſerint, omnia anthelminthica ideo, quod vermes indolis particípes ſe reddant, facile oeconomiam laedant.

p. 498. 47. *Epiſtola* OMOBON. PISONI *de vſu medico lacertarum* (*dei ramarri e parti. lucerte*) *ad D.* HIER. FESTARI, *et inſert. diario clop. Vicent.* Recenſitis de lacertarum in ſcroph vſu SCVLTETI, SAXONIAE et PREVOTII
p. 499. narrat, ſe eas in cancro mammae fruſtra adhibu easdem in femina ſeptem iam annos ſyphilitica men aliquod attuliſſe, hanc vero male obedient obiiſſe, iudicatque lacertas, quarum vis ab ipſ alcali volatili forte repetenda, in cancro noxas, Americanis forte non in hoc, ſed in vlceribus ſup ficialibus, a Gallis *chancres* dictis, vtiles eſſe
p. 500. Addita eſt obſeruatio FR. LVDOV. BALDINI de ſe na in ſcabie haereditaria pſoricis fruſtra vſ aetatis vigeſimo ſexto, initi vero matrimonii horrenda adhuc lepra affecta; ab ea vero chron que ſcabie vſu viginti et quinque lacertarum *marri*) et ſaturati infuſi dulcamarae, fero copio ſudorem et vrinam proliciente, menſtruorum fluxum diu ſuppreſſum reuocante, tandem liberat

II.

D. CAROLI GEORG. THEOD. KORTVM, medici Tremonienſis, commentarius de vitio ſcrofuloſo, quique inde pendent morbis ſecundariis, qui nuper illuſtris ſocietatis regiae medicorum, quae Pariſiis eſt, plauſum tulit. Tomus primus. Lemgouiae, MDCCLXXIX. 8. 390. pag.

Noſtris temporibus quod inprimis apud Gallos Anglosque vehementer increbuit, vitium ſcroloſum, a recentioribus, ad id magis attentis, quidem gregie illuſtratum eſt, multumque praeſtitum, tam ſcrofuloſorum affectuum natura declaranda, quam edela feliciori et faciliori reperiunda. Attamen ullus hactenus auctorum ſcrofuloſi morbi eiusque ecierum vtcunque valde frequentium fidelem et curatam hiſtoriam dedit, quaeque optima de ſcrolarum natura, cauſis et curatione proſtant obſerta, in plurimis auctorum ſcriptis diſperſa latent: ine ſane haec colligendi, in ordinem quendam redendi atque digerendi labor, quo optime functus eſt l. Auctor, non inutilis putandus eſt.

Libris, qui de ſcrofuloſo morbo ſeorſim tractant, narratis, operis ſui rationem copioſiorem exponit oſter, in quo conſcribendo iam ante quaeſtionem medicorum Pariſinorum ſocietate propoſitam vertus fuerat, deinde ſuccincta morborum acutorum um diuturnis comparatione praemiſſa, cauſas mororum chronicorum generaliores, ſecundum quas p. 27. claſſes generaliores diſtribui poſſint morbi diutur-, proponit. Hae cauſae ſunt 1) *debilitas*, ſiue poos laxitas partium ſolidarum, quam ſolam ſubintelgit, 2) *functionum viſcerum chylum praeparantium itiata actio*, 3) *ſpiſſitudo et tenacitas humorum* vel

atrabiliaria, vel pituitoſa, 4) *excretiones imminutae vel ſuppreſſae*, 5) *ſpaſmus*, 6) *humorum acrimonia*. His quidem cauſas ad morborum diuturnorum origines multum conferre nemo facile negauerit, optandum tamen fuiſſet, vt ordines earum melius exactiusque Clmus Auctor definiuiſſet: ſic excretiones imminutae vel ſuppreſſae cauſam quidem per ſe conſtituunt morborum chronicorum, natura verum ſua ab aliis cauſis enarratis dependent, adeoque in cauſarum numerum inferri non merentur, quum ipſae harum cauſarum effectus ſint.

p. 33. His omnibus praemiſſis prima ſectione *morbi notio, variae appellationes, diſtinctio ab aliis, diuiſiones* traduntur. Scrofulae ſunt Noſtro glandularum praecipue conglobatarum, indurationes et intumeſcentiae chronicae ex ſingulari lymphae ſyſtematisque lymphatici vitio pullulantes, et peculiari vt primum habitus externi vitio comitatae.

p. 43. Cum bronchocele ſcrofulae ſaepius confuſae ſunt, et cauſa, quae effecit, vt in ipſas ſcrofulas minus attenti fuerint mederi, in hac confuſione ſita eſt. Bronchocele, cuius eſſentia in glandulae thyroideae induratione, caeteris colli glandulis ſanis, conſiſtit, cachexiam, ſcrofulis iunctam, nunquam iunctam habet, indeque bronchocele, ſiue ſtruma proprie dicta ad tumorum, ſcrofulae vero ad cachexiarum claſſem recte referuntur. Ipſe tamen tumor glandulae thyroideae etiam a materia ſcrofuloſa produci poteſt. Cum tumoribus cyſticis ſcrofulae non raro confuſae ſunt, neque ſemper a ſcirrhis ſatis diſtinctae. Ipſa que haec diſtinctio a ſcirrhis ſatis ſubinde difficilis eſt; vterque enim morbus glandulas induratas habet, in ſcrofuloſa tamen glandularum duritie, dyſcraſia ſcrofuloſa diſtinctionis characterem exhibet.

Rem hoc modo optime expediendam eſſe putat Noſter. Struma glandulae thyroideae induratio eſt,

ſique a ſcrofuloſa acrimonia haec induratio proficiſcitur, ſcrofuloſae ſtrumae nomine inſignienda eſt: bronchoceles nomen, incongruum ad genus deſignandum, ſoli prolapſui tunicae internae aſperae arteriae tribuendum eſt.

Sectio II. *ſcrofularum ſymptomata* complectitur. p. 53.
Donec immunes a tumoribus glandulae lymphaticae externae manent, nullum ſcrofuloſum vitium accuſari debet. Ipſae glandulae vero ſi ſcrofuloſae ſiunt, tumores non magnos exhibent, ſique mole creſcunt, id aut a pluribus glandulis conglutinatis inter ſe et eodem morbo affectis pendet, aut tumor falſo pro ſcrofulis venditus ſteatomatis, aut aliam naturam habet. Parua habent lentaque initia, inde diſtinguendae a catarrhali glandularum tumore, qui in pueris frequenter obtinet. Figuram inaequalem, irregularem habent, indeque a peritis ſolo fere tactu cognoſcendae.

Sedem ſcrofulis omnes glandulae praebent. In p. 69.
meſenterio quidem frequentes ſunt, non tamen generatim ſtatuendum eſt, vbi glandulae in collo induratae apparent, ibi ſemper quoque meſenterium iisdem affectum eſſe: examine enim etiam curatiore inſtituto in aegris, qui collum ſcrofuloſum habent, non raro nulla labes in imo abdomine detegitur. Si vero morbus ad magnum gradum prouectus eſt, meſenterium ſemper eo affectum reperitur. In pueris quoque meſenterium frequentius a ſcrofulis affici ſolet, quam in adultioribus. Reliqua omnia abdominis viſcera glanduloſa ſcrofulis patent. Cerebrum adeo occupare ſcrofuloſam materiam auctores pronunciarunt, in eoque induratione producta epilepſiam inducere.

Sedem morbi, vt iam diximus, propriam lympha- p. 77.
ticum ſyſtema conſtituit primumque ſemper in glandulas conglobatas decubitum facere ſolet venenum

ſcrofuloſum: ſi vero inualuit malum, aliae quoque glandulae aliaque loca a morbo occupantur. Articulis inprimis et articulorum capſulis morbus infeſtus eſt.

p. 89. Vt ſcrofulae generentur, vitium corpori inhaereat neceſſe eſt, quod lympham inſpiſſet, glandulas obſtruat. Id, cachexiae ſcrofuloſae nomine inſignitum, ex concurſu plurimorum ſymptomatum cognoſcitur. Sunt autem haec ſymptomata vel effectus vitii ſcrofuloſi, corpori iam inhaerentis, vel conſtant in qualitatibus quibusdam corporis, quae indicant, id ad ſcrofulas concipiendas pronum eſſe. Ad priores pertinet collum breue, frons curta et angoſta, tempora preſſa, amplae largaeque maxillae, caput grande, color faciei amoene roſeus, facies inflata paululum et quaſi oedematoſa, labium, praeſertim ſuperius, tumidum, tumore ad inferiorem ſeptum alarum narium partem extenſo, mucus e naribus copioſe profluens eas erodens, oculi magni ſplendentes, pulchri, ſi ophthalmia nondum affecti ſunt, lacrymoſi contra et ſuo nitore orbati, circulo liuido circumdati, ſi ſcrofulae meſenterium occupant; pupilla dilatata, quae probat ventium ſedem ſuam in abdomine potiſſimum habere, abdomen tumidum, tenſum atque durum, durities aequali viſcerum ſcrofuloſa ſaepe per tactum cognoſcenda; extremitatum macies, extenuatio; pectus ariditas; vegeta mens, viuidum ingenium, iudicium firmum; ciborum, praeſertim farinaceorum, crudorum, ſolidiorum deſiderium, digeſtio debilitata, ſaliuae copioſior ad os affluxus.

p. 115. Sequuntur, ob acrimoniam lymphae inhaerentem, defluxiones, eroſiones, exulcerationes, ophthalmiae, aurium fluxus, morbi cutanei varii, gingiuae montium incolis contrahuntur et indureſcunt; dantes in ſcrofulis meſentericis, vel rhachitidi adnatis

vitiantur; conſtitutio debilis et laxa, reſpiratio difficilis fit, pulſus parvus et mollis deprehenditur, cupiditasque ad venerem, ad contrectandas naturales partes naſcitur praematura.

Formae autem, ſub quibus ſcrofulae incedunt, p. 120.
duae ſunt. Prima, ſcrofulam proprie dictam conſtituens, diſtinguitur plena facie, colorata, oculis magnis, viuidis, pupilla ampliata, laxo corporis habitu, corpore pleno, cute glabra, intellectu et iudicio valentioribus, abdomine vix valde turgente, labii ſuperioris tumore, glandulis externis tumidis, ad inflammationem, ſupurationem pronis. Haec forma Noſtro ea eſt, qua ſcrofuloſum venenum ſummam ſuam maturitatem acquiſiuit, qua in pueros per haereditatem propagari valet. Altera forma, quam ſcrofulam meſentericam Cl. Auctor dicit, haec eſt: habitus cachecticus eſt, tumidulus, oculi languidi, triſtis animus, ſeria amans. Colli glandulae parum tument, et ſi tument, frigidus, vix ad inflammationes pronus tumor eſt. Venter contra plurimum tumet, pectore et articulis emaciatis. In atrophiam et tabem meſentericam tranſitus facilis eſt. Vtraque forma ab eodem veneno pendet, corpora locaque diuerſa occupante. In meſenterica tamen materies ad internas glandulas magis defixa haeret, et cachexiae ſcrofuloſae ſigna minus clara ſunt.

Permultos pueros, inprimis quos aut capitis ti- p. 133.
nea vexat, aut qui ad eam proni ſunt, non raro quoque qui caput mundum habent, a leuioribus diaetae vitiis, occupat tumor glandularum colli, ſubmaxillarium (parotidis quoque) facile iterum diſparens et non raro tinea copioſiore capitis ſolui ſolitus. Hos tumores Cl. Auctor ad ſcrofularum ſpuriarum genus refert et ab eadem materia, quae ſcrofulas producit, ſed minus perfecta, deriuat, quod quidem ſubinde, non vero ſemper locum habere putamus: ſaepiſſime

enim hi tumores, a solo lymphae difficiliore motu nati, euanescunt, absque vllo cachexiae scrofulosae signo, et absque vlla scrofulosa aegritudine sequentibus. Eodem plane modo pueros non raro morbus glanduloſus parotidum et glandularum submaxillarium occupat, non scrofulosus, quem praeter SVERIVM DE KANILFELD nemo recentiorum descripsit. Saxones *den Ziegenpeter* vocant.

p. 173. Febris, quae scrofulas comitatur, catarrhalis saepe inde est, a glandularum vero inflammatione inflammatoria, a suppuratione suppuratoria. Si malum multum progressum est et cacochymia scrofulosa totum corpus occupat, febris hectica scrofulosa nascitur.

p. 148. Gradus, quos morbus percurrere consueuit, hi sunt: Si lymphaticae quaedam glandulae ad latera colli, pone aures, caet. pueris intumescunt, mobiles, molles, non tumentes, cum dispositionis scrofulosae signis, primus morbi gradus est. Si tumidae colli glandulae numerosiores, concatenatae fiunt et mole ac duritie augentur, alter gradus est. In hoc abdomen laborare incipit et habitus scrofulosus manifestus est. Tertius gradus est, si irritamentum scrofulosum in actum citatur, dolentibus tumoribus, inflammatis atque exulceratis. Inflammatorio quodam statu vniuersum lymphaticum systema laborare videtur: febricula corpus detinet. Quartus est, si ossa exulcerantur, si cancri scrofulosi nascuntur caet.

Dissipantur scrofulae, solidis corporis partibus maiorem vim pubertatis tempore acquirentibus: si vero malum diu partibus inhaesit, sensim acrius in actum solida irritat, inflammat, exulcerat. Si inflammari incipiunt scrofulae, aegri leues puncturas in interioribus tumorum partibus sentiunt: tumores grandiores mox facti superficiei fortius adhaerescunt, ruben-

rubent inflammanturque cum dolore exiguo. Pus nox in ichorem conuertitur: hinc vlcerum difficilis natio, tumoris imperfecta liquatio. Foeda vlcera, i conſolidantur, foedas cicatrices relinquunt. Partes inflammatae non raro gangraeneſcunt.

Quoad vitae periodum, quam occupant, ſcrofulae p. 163.
medias tenent inter infantum ac puerorum morbos. Connatarum ſcrofularum exempla, ſi vnquam extiterunt, rariſſima ſunt. Scrofulae poſt annum vitae ortae quoque valde rarae ſunt. Feminarum corpora crebrius, quam virorum occupant, quoniam laxiora, delicatiora, tumoribus pleniora ſunt. In feminarum corpore poſt menſtruam purgationem ſuperatam ſcrofularum venenum demum eſſe euolutum ſubinde obſeruatum eſt. Caeterum idem morbus porcis, equis, ſimiis, leonibus frequens eſt. (frequentiſſimus eſt canum generi, inprimis canibus minoribus, delicatulis. Nec multi ex canium venaticorum genere ab hoc morbo immunes reperiuntur.)

Sectione III. *de ſcrofularum indole et cauſis agi-* p. 173.
tur. Cauſam propiorem ſcrofularum alii hanc, alii illam accuſarunt. Lymphae vitium in ſcrofulis manifeſte adeſt, idque in tenacitate illius nimia et acrimonia conſiſtit. Docet acrimoniam hanc adeſſe tumorum in initio frigidorum ſenſim naſcens inflammatio, vlceratio maligna, acres deſtillationes, morbi cutanei, oſſium. Stagnatio lymphae diuturna in carnibus glandularum huic acrimoniae fauere inprimis videtur. Porro in ſcrofulis adeſt colluuies lymphatica, ſolidarum partium debilitas laxitasque, partium ſolidarum vniuerſi corporis, praeprimis ſyſtematis lymphatici, atonia.

Rationes, quibus ducti medici vitium ſcrofulo- p. 184.
ſum pro ſyphilidis ſobole habuere, nunc copioſe exponuntur. Exiſtere multam inter vitium hoc et ſyphilidem analogiam non negatur: neque negari

poteſt ex Noſtri mente, pueros venereis parentibus progenitos ſcrofuloſis affectibus frequenter infeſtari. Medendi etiam methodus vtrique morbo fere eadem coniecturae de originibus non diſſimilibus non repugnat. Sed ſcrofulae morbis venereis longe antiquiores ſunt et HIPPOCRATI iam notae, quibus ex Latino-barbaris notiſſimae fuerunt, et vbi etiam antiquitatem ſcrofularum inde quis ſuſpectam reddere velit, quod cum rhachitide plurimam ſimilitudinem habeant, haec vero ipſa adeo venerea lue recentior ſit, inde dubia ſcrofularum antiquitas ſane reddi non poteſt. Forte conſtitutio recens exorta ſcrofuloſum morbum, adiuncta ei, ita mutauit, vt aliam formam nactus etiam alia ſymptomata eoque modo rhachitidem, nouum morbum, exhibuerit. Probat etiam morbum ſcrofuloſum a venereo diuerſum eſſe, quod hic ditiores, voluptatibus omnibus deditos, occupet, ille vero pauperes, ſordidos, malo victu vtentes.

Alii acidum lympham coagulans accuſarunt. Il-
p. 203 lae ſane cauſae praegreſſae permultae, quae ſcrofularum originibus admodum fauent, multaque in ipſius morbi decurſu praeſentia phaenomena tale acidum ſubeſſe ſuadent, inprimis rhachiticus morbus, ſcrofuloſo perſimilis, in quo acidi veſtigia manifeſta ſunt. Glutinoſum quoque, quod in lympha ſcrofuloſorum praepollet, acido habitaculum dare commodum poteſt. Verum ſi etiam acidi praeſentia in ſcrofulorum morbis negari nequit, hoc tamen acidum ſcrofulas non proxime inducit, requiritur enim ad eas ſyſtematis lymphatici particularis quaedam diatheſis, quae non ſemper ex haereditate mala, cui fere conſtantes colluuies acido-viſcida in pueris iungi ſolet.

Miaſma morboſum quum denotet materiam morbidam, quae in aliis ſubiectis ſui ſimilem morbum producere valeat, neque generari poſſit, niſi ex ſui generis morbo, hoc ſenſu difficile eſt ſtatuere pec-

liare ſcrofuloſum miaſma: ſi vero materias morbidas, quae ſpecifice indolis ſunt et in aliis ſubiectis morbum ſui ſimilem procreare valent, ſaepe tamen abſque contagio in corpore ipſo generari poſſunt, miaſmata vocamus, hoc ſane ſenſu ſcrofulas ſuum miaſma habere certum eſt. Contagioſas eſſe ſcrofulas negarunt alii, alii affirmarunt: eſſe vero certis ſub conditionibus contagioſas certum eſt. Inſitione quidem materie ex vlcere ſcrofuloſo in ſanum corpus propagata ſcrofulae productae non ſunt, ipſeque Cl. Auctor hanc inſitionem abſque vllo effectu tentauit; verum ſi ſummam ſuam vim nacta eſt materia et ad ſummum gradum ſuum quaſi exaltata, vtique morbum ſui generis in aliis producere valet. Quod vero quum alii quoque morbi faciant, firmior concluſio eſt, requiri ad ſcrofulas peculiarem ſyſtematis lymphatici diſpoſitionem, quae peculiarem humorum diſcraſiam, cacochymiam, acrimoniam inducat.

Multiplicis indolis ſcrofulas eſſe quidam ſtatuerunt: hinc curioſe inueſtigat Noſter, num vere ſenſerint. Recte monet, hos auctores humorum ſtatum tantum reſpexiſſe morboque cauſas diuerſas propiores dediſſe, cum diuerſo modo alteratos humores in morbo eſſe conſpicerent: ſpecificum vero characterem ſcrofuloſi morbi a ſolidorum conſtitutione repetendum ſcrofulasque vnius indolis tantum ſtatuendas eſſe, diſtinguendas a ſpuriis, quae in fugitiuo glandularum tumore conſiſtant, et a complicatis, in quibus, ob aliorum morborum concurſum, ipſe morbus varia forma incedat. p. 221.

Scrofularum nunc variae diuiſiones enarrantur. Optime Noſter ſcrofulas in veras et ſpurias, ſeu ſymptomaticas diuidit. Spuriae duplicis generis ſunt: aut enim ſcrofuloſum vitium cum alia quacunque morboſa cauſa complicatum eſt, aut aliae cauſae, abſque vllo vitii ſcrofuloſi veſtigio, tumores glandu- p. 235.

larum ſcrofuloſis ſimiles inducunt. Priores ſub ſcrofularum complicatarum nomine comprehenduntur commode: poſteriores nomen ſcrofularum non merentur.

Phaenomena quidem oſtendunt, plurimam ſimilitudinem inter rhachitidem et ſcrofulas intercedere, attamen in eo rhachitis a ſcrofulis conſtanter differt, quod illa oſſa emolliat atque iuniorem aetatem, a ſexto menſe vſque ad alterum aetatis annum, affligat. Hinc cauſa proxima vtriuſque morbi etiam aliquo modo diſcrepet neceſſe eſt. Achores, cruda lactea repreſſa, ſcrofulas non raro excitat: iidem morbi, ſi ſcrofuloſis ſuperueniunt, ſcrofulas non raro ſoluunt. Multa alia phaenomena docent his morbis omnibus cauſam eſſe proximam fere eandem, quae tantum per particulares circumſtantias determinetur, vt has morborum non ſpecies natura diuerſas, ſed varietates conſtituat.

p. 246. Scrofuloſis corporibus variolae non vehementer inimicae ſunt, plurimi potius ſcrofuloſi variolas, maligna etiam exiſtente epidemia, optime ſuperant. Frigidum forſan laxumque corpus ſcrofuloſum vix ad graues a miaſmate varioloſo febres concipiendas idoneum eſt, neque virus varioloſum valde multiplicare valet. Caeterum obſeruationem notatu dignisſimam memorat Cl. Auctor hac occaſione, vbi de veneni varioloſi cum ſcrofulis coniunctione tractat, nempe conſtare exemplis omnibus, phthiſi ſpontanea non occupari hos, quorum faciem variolae, foueis in iis relictis profundioribus, foedauerant, ſed hos tantum, quibus benigniores variolae cutem illibatam reliquerant. Ex hac obſeruatione autumat effici, per variolas maligniores aliquid in pulmonibus, quod futuram ad phthiſin diſpoſitionem praefocet, fieri, forſan ſuperficialem ſuppurationem, quae materiam phthiſeos generationi olim idoneam exſoluat atque exter-

exterminet. Hisque praemiſſis per exempla probat, artificiales variolas cutem quidem vtplurimum non laedere, verum non raro vitium internum in pulmonibus prouocare, quod inualeſcens ſenſim pulmones iis corrumpat, quorum faciem variolae non dehoneſtauerant. Inprimis ſi ſcrofuloſis arte variolae inſeruntur, metus non vanus eſt, ne ſcrofuloſa diſpoſitio magis euoluatur, pulmonibus olim infenſa. Hinc forſan ratio elucet, cur in populoſis vrbibus, in quibus inoculatio ex longo tempore in vſu fuit, mortalitas ne hilum quidem fuerit imminuta.

Scrofuloſus morbus ſaepiſſime poſt variolas obſeruatur et quidem non morbo mox ſuperato, ſed tempore aliquo interpoſito, et nunquam fere, niſi in pueris, qui ſcrofuloſa cachexia iam antea laborauerant, ad quam euoluendam et in actum maiorem concitandam febris varioloſa contulerat.

Scrofuloſis his expoſitis, et alii glandularum tumores enarrantur, qui febre morbilloſa, ſcarlatina, acutis febribus aliis atque intermittentibus, nec non catarrhalibus morbis ſuperuenire ſolent, deinde glandularum tumores a cauſa ſanguinea, metaſtaſi lactis, abundantia lymphae. A menſibus ſuppreſſis aeque ac ceſſantibus glandularum tumores obſeruati ſunt: generatim ſcrofuloſa cachexia decedit, ſi menſes fluere incipiunt, augetur vero, ſi fluor menſium aut emanet, aut intercipitur. Grauidis non raro glandulae intumeſcunt, nec non iis, qui haemorrhoides ſuppreſſas habent. Lac, quod exitum molitur, mammas glandulasque alias non raro turgefacit. Si ſemen ſecerni incipit, non raro quoque glandularum tumores ingruunt.

Venerei glandularum tumores pendent aut a ſyphilide cum ſcrofuloſo morbo complicata, aut a ſcrofulis cum venerea labe complicatis, aut ab irritatione venerei veneni tumores in glandulis inducente. p. 269.

Arthri-

Arthritica materies non raro glandularum tumores facit. Iidem poſt rheumatiſmos, in plica Polonica, albo fluore, morbis cutaneis, lepra, elephantiaſi deprehendi ſolent. In phthiſi laborantibus interdum ſcrofuloſa materies, quae pulmones occupauerat, exteriora cum ſalute aegri petit. Suppreſſa dyſenteria, ſuppreſſi pedum ſudores, ſuppreſſae excretiones quaecunque aliae glandularum tumorem pariunt. Hic vero auctorem a ſcopo ſuo aberraſſe et non tantum ſcrofuloſos, ſed alios quoque glandularum tumores, ſcrofularum ſpuriarum nomine ab eo inſignitos, enarraſſe, facile apparet.

p. 279. Aetas puerilis, temperamentum humidum, phlegmaticum, corporis conſtitutio infirma, debilis, diſpoſitionem ad ſcrofulas faciunt. Quo debiliores pueri ſunt, eo magis ſcrofulis obnoxii ſunt, ſiue connata fuerit debilitas, ſiue ex praegreſſo morbo, diaeta caet. nata. Haereditaria quoque diſpoſitio ad ſcrofulas producendas multum valet, darique haec ad ſcrofulas diſpoſitionem, innumera exempla docent. Sed etſi copioſiſſimae ſcrofulae per haereditatem naſcuntur, tamen et, praeter eam, a ſuis cauſis naſci ſolent, indeque pauperibus et ſordido victus genere vtentibus frequentiſſimae ſunt. Scrofulae tumen, quas ſupra deſcripſimus, proprie dictae, fere ſemper haereditariae ſunt, ſcrofulae e contra meſenthericae in pauperibus frequenter occurrunt a ſuis cauſis natae.

p. 294. Ad diſponentes porro ſcrofularum cauſas pertinet aetas parentum iuuenilis, labes parentum venerea, parentes valetudinarii, exhauſti, imbecilles, haec in aegro corpore praeparatum caet. Ingeſta in procatarcticis cauſis attentionem merentur plurimam: in iis enim princeps ſcrofularum cauſa ſita eſt. Farinacea non fermentata, eadem ſi per fermentationem acorem quendam nacta ſunt, alimenta glutinoſa, ſo-

lani

lani tuberoſi radices crebro ingeſtae, butyracea, leguminoſa, verbo omnia, quae chylum viſcidum, ſubacidae naturae, difficulter mobilem, acrem generare poſſunt, ſcrofulis etiam generandis idonea ſunt. Purgantium, abſorbentium, adſtringentium medicamentorum abuſus, venena, praeſertim ſaturnina et ſtiptica alia eundem morbum ingenerant. Aër impurus, paludoſus, moleculis putridis, relaxantibus remixtus, frigidus humidusque ſimul, aër tuguriorum et omnia generatim, quae ad immunditiem referri poſſunt, inter innumeras fere alias cauſas, quae copioſe et cum plurima doctrina exponuntur, in ſcrofulis producendis validiſſime agunt.

Sectio IV. *prognoſin ſcrofularum* exhibet. Primum p. 337. probatur, *morbum ſcrofuloſum non leuem, ſed grauem et periculoſum ſaepe eſſe.* Periculi maxima pars ab aegritudinum ſecundariarum agmine pendet, quod a ſcrofulis inducitur. Eaeque oriuntur vel vitio ſcrofuloſo has illasue partes corporis, inprimis nobiliora viſcera occupante, vel a tumoribus ſolo mechanico effectu, preſſione, ſitu, mole, copia humorum motum et partium functionem perturbantibus. Hinc nullum chronicorum morborum genus exiſtit, quod non aliquando a ſcrofulis inductum fuiſſe obſeruatum fuerit.

Prognoſis a magnitudine, vehementia, ſede, diverſo ſtatu, duratione tumorum repetenda eſt. Diu et per totam vitam geſtari poſſunt, ſi blandam naturam habent. Maiores et quae multas corporis partes, inprimis nobiliores obſident, aegrius curantur: ſi cyſtici tumores ſimul adſunt, iam adoleuiſſe malum cogitandum eſt. Si meſenterium ſimul afficitur, ſemper malum: peſſimum vero, ſi in ſcrofula proprie dicta meſenterium afficitur, quoniam meſenterium facillime ſuppuratur.

Partis

p. 359. Partis ſecundae ſectio prima *generalia circa ſcrofularum medelam, nec non de cura ſcrofularum praeparatoria* praecepta continet. Difficilem ſcrofularum curationem eſſe, plurima medicamenta ad eas incaſſum eſſe tentata, et raro euentum curationis expectationi reſpondere, omnes adſerunt. Cauſas huius difficultatis nunc enarrat Noſter. Et primum quidem notat ſcrofulas, quae difficillimae ſunt curatu, ex vitio corporis per haereditatem translato prodiciſci: deinde morbum ſcrofuloſum ſua habere initia, progreſſum, coctionem, criſes, finem monet, neque licere morbum in ipſo ſuo decurſu intercipere, ſed expectare, donec ipſe ſat coctus ſit. Id quoque diuturnitatem auget, quod ſpe ſanationis medentes ſaepe decipiat, glandulaeque, quae reſolutae videantur, mox iterum intumeſcant. Specifica praeterea ad hunc morbum medicina deeſt, neque facile dabitur, quum non acrimoniam tantum corrigere, verum etiam ſolidorum ſtatum et lymphaticum ſyſtema mutare debeat. — Ipſa vis vitalis medicamentorum vſum in hoc morbo non adiuuat, quoniam debilitata eſt: ſecundarii ſcrofularum effectus primariis ſaepe perniciоſiores ſunt et curatu difficiliores, et hae difficiles curationes in pueris peragendae ſunt, qui medicamenta vix lubenter ſumunt et protractum eorum vſum vix tolerant.

p. 373. Medicinis variis expoſitis ſuperſtitioſis, quae ad ſcrofuloſas affectiones commendatae ſunt, inprimis autem famoſa ſtrumarum curatione per tactum, olim ab Angliae et Galliae regibus peragi ſolita, *indicationes in cura ſcrofuloſorum* obſeruandae traduntur. Hae ſequentes ſunt: 1) cauſae materiales, quae lympham ſpiſſarunt, morbique euolutionem promouerunt, tollendae ſunt; 2) ſpiſſa, coagulata, infarcta ſoluenda ſunt; 3) acrimonia humoribus, praeſertim lymphae inhaerens, corrigenda eſt;

4) re-

4) roborantibus corpori atque ſyſtemati lymphatico proſpiciendum eſt.

Prima indicatio maxime per euacuantia medicamenta perficitur, repetenda quoque, ſi opus eſt, per anthelminthica, ſi vermes adſunt, per antacida, ſi acidum peccat, per venaeſectionem, ſi, quod raro obtinet, plethora adeſt, aut ſi diſpoſitio inflammatoria vrget. Reliquis indicationibus praeclare ſatisfaciunt reſoluentia roborantibus nupta, hac tamen cum cautione, vt, ſi fortius obſtructiones vrgent, deobſtruentia inprimis adhibeantur. Si colli tumores ſoli atque ſolitarii reſtitant, ſpongia vſta iuuat. Acidum ſemper alcalina poſtulat. Stadiorum diligens in curatione obſeruatio neceſſaria eſt: reprimere vero tumores ad curationem nunquam conuenit.

III.

Beytraege zur ausübenden Arzneywiſſenſchaft, von D. LEBERECHT FRIEDRICH BENIAMIN LENTIN, *Koenigl. und Churfürſtl. Hofmedicus und Stadtphyſikus zu Lüneburg. Leipzig.* 1789. 8. 416 *pagg.*

i. e.

Symbolae ad medicinam practicam.

Alteram hoc titulo exhibet Clmus et inter practicos in Germania medicos aeſtimatiſſimus Auctor editionem libri, qui anno MDCCLXXXIII. in eruditorum bibliopolio titulo: *Beobachtungen der epidemiſchen und* einiger *ſporadiſchen Krankheiten am Oberharze* *) prodierat, et longe quidem auctiorem, multas enim morborum hiſtorias multaque obſeruata alia addidit medicis ſcitu vtilia partim, partim iucunda.

Capi-

*) vid. Comment. noſtr. Tom. XXVI. Part. III. p. 417.

p. 163. Capiti de hydrope, quod prior editio iam tanebat, *obſeruationes circa accuratiorem hydropis cationem* additae ſunt. Primum per exempla probatur, hydropem oriri ſui generis, ſi vrinae ſecreti intercepta eſt. Cuticula, hoc hydrope anaſarca noſo perſiſtente, in veſiculas eleuatur, ſolaque diuretica methodo adhibita morbus curatur. — Dolores aegri in muſculis et tendinibus ſi ſentiunt, bonum eſt. Dolor enim a vi vitali pendet, quam fibra ſenſim recuperant. In aegri cadauere poſt hydropem aſciten mortui, euacuatis breui ante mortem aquis omnibus, abdomen iam ante mortem enormiter iterum tumidum et poſt mortem inciſum aquas nullas emiſit. Omentum aquis ſummopere dilatatum, inteſtina inter ſe et cum meſenterio in informem maſſam coalita, glandulas induratas, ſanguinem diſſolutum, lymphaticos humores coagulatos, cadaver exhibuit.

p. 186. Grauidarum hydrops, poſt puerperium demum ſanabilis, hoc peculiare habet, vt poſt puerperium lac aquis effuſis miſceatur. Tumor hinc cruum albidus eſt. Cauſam habet perſpirationem ſuppreſſam, qua aucta hydrops ipſe certe cauetur.

p. 193. *Morborum annis* MDCCLXXXIV, V, VI *et* VII. *Luneburgi obſeruatorum hiſtoria.* Toto anno MDCCLXXXIV morbi putridi graſſabantur, variolaque intercurrebant epidemicae, ob putredinem ipſis adiunctam ſumme mortiferae. Hieme anni ſequentis conſtitutio in bilioſam et inflammatoriam mutata eſt.

Scarlatina febris, quae hyeme anni MDCCLXXXV graſſabatur, primis epidemiae temporibus iam initio morbi anginam adiunctam habebat, procedente hac fauces minus adfectae erant. Febris morbo adiuncta ad gaſtricas pertinebat leuabaturque emeticis et purgantibus medicinis datis. Tumorem cutis leuco-

leucophlegmaticum balnea tepida, febre ſuperata adhibita, optime praecauerunt.

Cardialgia frequens Luneburgenſium morbus, p. 214.
vtplurimum ab acido in ventriculo haerente, a nimia illius ſenſibilitate, a neruoſis papillis denudatis oriunda, et a metaſtaſi materiarum morbidarum praeſertim rheumaticae et arthriticae, pendet. Curatio huius morbi non procedit, niſi diaeta ſtudioſe obſeruata, inprimis ſi acidum in ventriculo haeret, vbi cibi ex mucilaginoſorum genere, tenerae carnes oleraque tenera optime conueniunt. Puluis ex ſulphuris lacte et magneſia calcinata, interpoſita medicina ex quaſſiae tinctura cum vino Maluatico parata, tincturae tartari mixta, optime conuenit. Si ventriculi interior ſuperficies muco eam obducenti caret, mucilaginoſa cum regimine perſpirationem promouente conueniunt. Butyrum cacao, recens expreſſum, ad drachmae pondus bis vel ter per diem datum, interpoſita, ad acidum corrigendum, ſalis tartari ſolutione, optime conuenit. Si vero fibrae ventriculi naturali ſuo muco deſtitutae ſenſim occalleſcunt, in cicutae vſu vnicum praeſidium eſt.

Rheumatica materia cauſam cardialgiae frequen- p. 226.
tiſſimam conſtituens depellitur, irritamento in locis a rheumatiſmo antea vexatis excitato dataque medicina ex aconiti extracto, ſulphuris lacte et magneſia calcinata: ſi vero malum magis inueteratum eſt, ex mercurio dulci cum camphora. Arthritica materies, quae ad ventriculum decubuit, variis medicinis, ex diſcutientium, reſoluentium et antiſpaſmodicarum claſſe depellenda eſt. Sudores pedum habituales ſuppreſſi capitis et pectoris non raro acutos morbos crebro, et cardialgiam ſubinde inducentes, reuocantur adplicatis praeter pedum balnea, panno cerato viridi atque pedibus in veſicas vrinarias bouillas immiſſis, adhibito ſimul regimine diaphoretico. Scabiei

et herpetum acrimonia cardialgiam etiam non raro parit.

p. 236. Paedarthrocacen Noſter ſaepe vidit, in digitis praeſertim. Abſceſſus, tumore diuturno praegreſſo ſenſim natus, ſaniem ſubrubram, intermixtis oſſium particulis, demittit, non curandus, niſi regimen exactum obſeruetur. Scabies, quae puero hoc morbo vexato ſuperuenerat, cariem feliciter depulit. Scabiei inſitionem hinc hoc morbo affectis Noſter ſuadet, tandemque monet ſalis communis acidum ad ſcabiem inueteratam et herpetem magis valere, quam vitrioli ſpiritum.

p. 240. De aphthis puerorum commentationem ſuam, quam praemio proxime acceſſiſſe iudicauerat medicorum ſocietas Pariſina, Clmus Auctor in hoc libro publici iuris fecit. Naſcuntur aphthae in pueris ab aëre impuro et exhalationibus variis contaminato, euacuantium vſu neglecto, balneis praeſertim atque oris expurgatione neglectis, lacteque coagulato in ore haerente idque acrimonia ſua afficiente. Contagioſae ſunt, propaganturque, ſi pueri vbera ſugunt, ex quibus aphthis affecti antea alimentum ſuum acceperant. Cauſa vero, quae efficit, vt aphthae naſcantur, perſpiratio intercepta eſt, quae in oris cauum hiantia vaſa exhalantia petit, haec erodit, cuticulam in veſiculas eleuat papulasque format, quae peculiare aphtharum nomen acceperunt. Meconium non expurgatum aliam aphtharum cauſam conſtituit.

p. 249. Prophylaxin efficaciſſimam contra hunc morbum haec methodus praeſtat: cutis recens natorum diligenter a ſordibus purganda eſt: quo facto medicamentum ſordes per ſuperiora et inferiora expurgans dandum eſt, quod ex ſyrupi de manna tribus partibus et ſyrupi de iacea parte componitur. Os diligenter aqua cum vino, aut aceto remixta abſtergendum et ſumma mundities obſeruanda eſt. Ben-

gnarum

gnarum aphtharum curatio his abſoluitur: ſani ab aegris ſegregandi ſunt. Vbi vero prima aphtharum veſtigia apparent, corporis ſuperficies aluusque diligenter expurgandae ſunt. Ori interno ope penicilli applicandum eſt medicamentum, quod ex ſucci ſemperuiui maioris drachmis duabus, aquae plantaginis vnciis duabus et boracis Venetae ſcrupulo componitur. Idque, ſpecifici inſtar, non ſinit, vt morbus ingraueſcat, ſed abſoluto ſuo per nouem dies decurſu, ſponte et abſque periculo cum alui profluuio deſinat, cuius vis et acrimonia inuoluentibus cum abstergentibus et roborantibus medicamentis remixtis temperanda eſt. Ad renes ſimul humores crebrius ducendi ſunt, medicina externe adhibita, quae ex oleo terebinthinae et vitello ouorum paratur. Nutricum lac aqua calcis viuae quotidie ad vncias quatuor hauſta optime corrigitur.

Aphthae, quae per febrem remittentem praegreſſam fiunt febremque ſic dictam aphthoſam efficiunt, febrem nec imperfecte iudicant, nec periculum minuunt, adeoque ſignum ominoſi ſtatus humorum exhibent. Poſt euacuationes inſtitutas inteſtinalis tubi, boracis et antiſcorbuticorum leniorum vſus plurimum praeſtat. Si nigrae papulae ſunt putridaeque, aeger moritur.

De ſpina dorſalis incuruatione et gibberoſitate. p. 259. Vterque morbus ſanabilis eſt, ſi in ipſis ſuis initiis cognoſcitur. Cauſae vtriusque morbi ſunt, quae carnes oſſaque mollia, tenera reddunt: deinde quae efficiunt, vt pueri ſemper in eadem corporis poſitura permaneant. Spinae dorſalis incuruationem optime curant ſitus corporis crebro mutatus. Multum etiam iuuat corpus ſaepe ſuſpenſum habere eoque modo efficere ſenſim, vt recta ſpina euadat.

Gibberoſitatem futuram eminentia leuior, doloris expers atque inflammationis in dorſali ſpina in-

dicit. Cadauer gibberoſi Clmus Auctor inſecuit. Lumbares vertebrae longe craſſiores, quam in naturali ſtatu, perioſteum ab oſſe ipſo fere ſeparatum, aqua maceratum, reliquae lumborum vertebrae, cum ſpinali medulla corruptae erant. Vltima dorſalis vertebra ſana erat, non tamen primae vertebrae lumbari incumbens, ſed cum his vertebris angulum valde acutum efficiens. Paralyſis inferiorum articulorum, qua gibbi crebro tentantur, cardialgia, intestinorum dolores a preſſione ſpinalis medullae repetendi ſunt. Mitigantur haec ſymptomata, aquarum colluuie ex his partibus per fonticulos, magis vero per profundam inuſtionem, quam eum in finem fecit POUTEAU, Vir quondam Clmus, expurgata, ipſaque vertebrae, loco ſuo motae, exhauſtis aquis non raro in debitum ſitum rediguntur. Eadem inuſtione ſatis profunda atque repetita fungum articulorum Noſter ſanauit.

p. 275. *De cancro faciei et narium.* Methodus BERNARDI (puluis vlceri imponitur paratus ex combuſtis calceorum ſoleis et arſenico, deinde ad ſeparationem marginum calloſorum et ad vlcus expurgandum vnguentum adhibetur, cui arſenicum immixtum eſt) cancrum in facie bis ſanauit.

p. 277. Virgo tumorem praegrandem in vniuerſo huſtro pectore habebat, poſt indurationem, quam in vltimae verae coſtae regione primum perceperat, ſenſim natum. Cauſam ignorabat, clauiculam tantum illi prius quam indurationem percepiſſet, poſt vim externam quandam illatam, leuiter doluiſſe aiebat. Curatio ſteatomatis nulla poſſibilis erat aegraque tabe confecta interiit. Inciſo cadauere tumor maſſam ſanguine florido remixtam, cerebrum mollitie rubrorentem exhibuit. Sanguinis fontes ſub clauicula eſſe mox perſpectum eſt, qua caute a ſcapula ſternoque ſeparata cauſa tumoris ipſius apparuit, vena ſubcla-

ſubclauia ipſo loco, quo chyliferus ductus ipſi inſeritur, ſciſſa, chylum cum ſanguine in celluloſam pectoris telam demiſerat.

Angina polypoſa ex reſpiratione, inprimis ex tuſſis ſingulari ſonitu non difficulter a medico cognoſcenda, primo tantum morbi die ſanari patiens, ſi vlla plethorae indicia adſunt, hirudinibus loco ipſi applicandis, deinde medicamentis ſanguinis et lymphae coagula reſoluentibus curanda eſt. Veſicatorium inter ſcapulas poſitum, vnguentum ad ſcabiem WERLHOFII partibus affectis ipſis inductum, radix ſenegae cum gummi ammoniaco, ſquilla, caet. interne data, ſternutatioque, ad pituitam ſolutam ex aſpera arteria et larynge excutiendam optime conveniunt. p. 301.

De cura puerperarum et morbis quibusdam, quibus puerperae affici conſueruntur. Commodum grauidarum regimen ad partum et puerperium feliciter ſuperandum inprimis neceſſarium eſt. Aluus ante partum et poſt eum laxa, ſaltim ſublaxa eſſe debet: febris enim puerperarum fomitem ſuum fere ſemper in meſenterio atque inteſtinali tubo, nunquam vero in ipſo vtero habet, hinc praecauetur data, ſi debitae indicationes adſunt, leni emetica, aut purgante medicina. Hinc etiam multum ad bonam valetudinem confert aluum puerperis laxam ſeruare. p. 309.

De fonticulorum ad phthiſin pulmonalem ſanandam vſu. Multas hiſtorias Clmus Auctor copioſe enarrat, quibus probari poteſt, admodum conuenire phthiſicis pulmonum ſuppuratione laborantibus purulentam materiam per fonticulos, ſeu, quod praeſtat, ſetacea in ipſo pectoris dolente loco poſita, ad exteriora deducere. p. 328.

De faciei dolore. Nulla hactenus contra dirum hunc morbum certa medicina detecta eſt. Electuarium ex foliorum cicutae puluere cum melle para- p. 334.

tum et in initio curationis ad mentem FOTHERGILLII magnis doſibus datum, inter alias medicinas efficaciſſimum ſe praeſtitit. Alium aegrum, quem dolor ſummopere exercuerat, incaſſum adhibitis medicamentis efficaciſſimis, cicuta etiam, ſulphur antimonii auratum liquidum Clmi HERMBSTAEDT cum tinctura fuliginis datum conſtanter leuauit. Alia fonticulis plurimum leuaminis experti ſunt.

De materia arthritica ad veſicam vrinariam aberrante hiſtoriae tres.

Noui ventilatoris deſcriptio. Morbi ab aëre corrupto oriundi, in orphanotropheo Clausthalienſi frequentes, mouerunt Noſtrum, vt aërem in communi orphanorum conclaui ſtudioſius renouari curaret. Idque effecit, aëre impuro per amplam fiſtulam, in inferiore parte ampliorem, magisque patulam, excepto atque in caminum deriuato. Optime ſcopo reſpondit fiſtula morbique puerorum longe rariores euaſere. — Halitus cloacarum acetum vini, ſed copioſius, quam IANINVS voluit, in illos infuſum, optime correxit.

Hiſtoria virginis ruſticae, quae corpus ſuum abſque vlla cauſa peſſime mutilari curauerat. Primum, mane ſuadente, dolorem in ſiniſtra mamma, cancrumque occultum ſimulauit. Quumque mammam, dolore excepto, quem internas partes lacerare perhibebat, ſenſus plane expertem eſſe diceret, chirurgi, precibus eius moti, eam reſciderunt. Alteram deinde mammam, quam eodem modo affectam eſſe ſimulauerat, chirurgus, pariter reſcidit, eaque mamma ſiniſſima pariter fuit. Vtrumque vulnus facile coaluit. Deinde manus dextrae dolorem et digitorum rigorem ſimulauit, flagitauitque, vt manus ſibi reſcinderetur. Verum diutius magiſtratus has querelas non tulit: ergaſtulo commiſſae libertas manus, poenae metu, mox reſtituta eſt.

Quibus

Quibus praemiſſis nota iam ex aliis libris famoſa p. 365.
caſtrationis hiſtoria, quam celeberrimus chirurgus Berolinenſis in aegro abſque vlla neceſſitate, aegro tamen illam, mercede cccc imperialium promiſſa, atque peracta operatione data, inſtituerat, fuſius illuſtratur. Mercator, poſt crebras manuſtuprationes ſeminisque ſpontaneas profuſiones in benignam gonorrhoeam incidit, eamque ratus ipſi fore mortiferam, niſi teſticuli reſcinderentur, Berolinum primum, deinde mutata mente, Pariſios petiit, chirurgum quaeſiturus, qui teſticulos ipſi reſcinderet. Sed nolentibus chirurgis Pariſinis Berolinum repetiit, ibique operationem, adminiſtrante eam B... ſubiit. Vxorem deinde, quam putabat viros magis amare, quam ſe, expertem virilitatis, male tractauit, ideoque facto diuortio carceri traditus eſt.

Mentis morbi diuturni hiſtoria. Inciſo cadauere p. 406.
anterior pars lobi cerebri ſiniſtri os ſatis magnum durumque continere obſeruabatur.

IV.

SIM. HERZ, M. D. obſeruationes de febribus nervoſis. Berolini. 1789. 8. 164 pag.

Primum Cl. Auctor, qui medicinam Primislauiae, Vcero-Marchiae metropoli, exercet, *obſeruata quaedam ad ſimilitudinem nervoſae febris cum maligna ſpectantia* exhibet. Recte ſtatim monet, typhum HIPPOCRATIS cum febribus neruoſis recentiorum non conuenire, ſed morbum eſſe ad putridarum febrium claſſem referendum: minus recte vero ſtatuit, omnia, quae de malignitate in febribus paſſim edixit HIPPOCRATES, cum ſymptomatibus febrium nervoſarum ex omni parte conuenire. Verum quidem eſt, HIPPOCRATIS malignitatem nec in putrida febrium indole, nec in bilioſa colluuie, nec in phlogi-

ſtica diatheſi ſitam eſſe, hanc tamen HIPPOCRATEM
febrem dixiſſe tantum malignam, cuius ratio in ſyl-
mate neruoſo latet, vix putamus. HIPPOCRATES
enim ſymptomata acutarum periculoſa omnia ma-
gna dicit, adeoque malignitatem ceu acceſſorium
quoddam conſiderat, quod in omnes febrium ordi-
nes ſpeciesque cadere poſſit, febrem malignam ta-
lem, qualem recentiores ſtatuerunt, phrenitide et
peſtilentia fere ſolis exceptis, vix ſtatuit. Et de his
morbis dubitare adhuc licet, quin eis malignitatem
p. 15. originariam adſcripſerit. His praemiſſis Clmus au-
ctor paraphrenitidem veterum cum febre lenta ner-
voſa recentiorum vnum morbi genus conſtituere
adſerit. Symptomata non curat: haec enim diligen-
tius ſi curaſſet, ſi ex veterum monumentis paraphre-
nitidis hiſtoriam plenam atque perfectam conſeciſſet
eamque cum lentae neruoſae contuliſſet, facile per-
ſpexiſſet, plurimum vtrumque morborum genus
differre, paraphrenitidemque cauſam circa praecordia
ſitam vtplurimum agnoſcere, quam adeo phrenitidi
non deeſſe BRENDELIVS, vir quondam ſummus,
docuit. Neruorum affectionem neque in phreni-
tide, neque in paraphrenitide negamus; hanc vero
affectionem aut a vitiis in praecordiis produci, aut
vitia in praecordiis ſita producere, adeoque hos mor-
bos ad neruoſas febres exacte referendos non eſſe
ſtatuimus.

p. 25. His omnibus praemiſſis neruoſae febris ſympto-
mata et quorundam auctorum de eius cauſis ſenten-
tiae proponuntur. Ex noſtra ſententia ſtatum ner-
voſum et debilitatem febrilem ceu ſymptomata quae
omnibus febribus accedere poſſunt, conſiderare de-
buiſſet, quod etiam STOLLIVS in immortali apho-
riſmorum opere fecerat: ipſe vero malignitatem pri-
mariam ſtatuens febriumque malignarum claſſem
peculiarem, huius malignitatis cauſam proximam
eſſe

eſſe lymphatici humoris deprauationem ſtatuit, et quidem duplicem, aut mole ſola peccantem, aut nerueas fibras acrimonia laedentem. Hanc acrimoniam accuratius non determinat, adeoque hac acrimonia ſtabilita non videmus, quid in neruoſarum febrium theoria certius euadat, neque quam generalis haec cauſa ſuppoſita ad curationem harum febrium vtilitatem habeat, perſpicimus. Omnia ſane, quae Clmus vir de nervoſae febris natura propoſuit, omnes adeo febrium neruoſarum earumque curationum hiſtoriae, quas in progreſſu operis copioſiſſime exponit, opinionem noſtram non infirmant, qua ſtatuimus, dari vix febrium peculiarem claſſem, neruoſarum nomine inſigniendam, neruoſasque recentiorum febres ad pituitoſarum claſſem referendas eſſe, quae corpus tenerum, mobilitate fibrae ſentientis atque irritabilis praeternaturali gaudens, occupant.

Eandemque ſane neruoſam Noſtri febrem eſſe, p. 33.
altera operis pars, in qua hiſtoriae febris neruoſae proponuntur, probat. Hiſtoriae morborum egregie conſcriptae ſunt modoque tali, vt facile ſentiat lector, auctorem in curandis morbis magis eſſe verſatum, quam in opinionibus auctorum de iisdem enarrandis, ordinandis atque diiudicandis. Hae omnes hiſtoriae, quod et ipſe annuit, probant, ad hanc febrem inclinare, qui habitum corporis laxum, neruos debiliores, ſenſibiliores habent, qui affectione hypochondriaca aut hyſterica laborant, quos triſtia animi pathemata, vigiliae vexarunt, qui ſtudiis operam nimiam dederunt, aut nimiis euacuationibus exhauſti ſunt. His omnibus febris naſcitur non valida cum ſumma neruoſi ſyſtematis ſenſibilitate, fibrae motricis debilitate pituitaque reſoluta.

Optime ſimul notat Cl. Auctor, pituitam, vbi in p. 70.
his febribus ad internas partes, pulmones praeſertim, depoſita fuerit, non ſemper per antiphlogiſtica me-

dicamenta expurgandam esse, sed si summa debilitas, si ob atoniam vaforum decubitus factus est, excitantibus fortioribus cardiacisque opus esse.

p. 93. *De febre neruosa, vel maligna lenta sudatoria.* Vide memorabilem febris pituitosae cum neruorum mobilitate summa iunctae historiam enarrat Cl. Auctor, non vero ob sudorem; is enim nimius non erat, sed ob spasmorum symptomata creberrima, hydrophobiam spontaneam (ob aluum forte praeternature adstrictam) et crisin morbi, per saliuationem demum subsequutam, cuius aliquot exempla in prioribus quoque morborum historiis occurrunt.

Expositis variis aliis febris neruosae complicationibus cum febre biliosa, febre vernali, putrida, ve-
p. 145. mibus, variolis, morbillis, historiae phrenitidis duae enarrantur. Cum febre pituitosa iunctae erant: sine cerebri et membranarum, quae cerebrum inuestiunt, inflammationis nulla vestigia obseruata sunt, status vero corporis plane pituitosus erat morbusque corpora aerumnis et animi affectibus tristibus exhausta occupauerat. Recte hinc concludit Clmus Auctor, has phrenitides inflammatorias non fuisse, pleres dari phrenitidis species, easque, quas ipse obseruauerat, a generis neruosi nimia sensibilitate (pituitam resolutam addere debuisset) origines duxisse.

Ad curationem febrium, quarum historiae enarrantur, neruosarum quod attinet, hoc tantum in illis reprehendi debere nobis visum est, quod Cl. Auctor, neruosam affectionem semper prae oculis habens, primis viis non semper, neque satis efficacibus medicinis prospexerit. Pituitae praeter naturam resolutae signa in omnibus neruosis febribus, quarum historias enarrat, aderant: non raro signa certa docebant praecordia a pituita valide affecta esse. Et tamen emeticam medicinam vix semper praescripsit, praescriptamque hac dosi exhibuit, vt alui profluvium

vium potius idque corpus debilitans adeoque nocivum, quam efficacior emeſis ab ea expectari potuiſſet. Neque in his febribus, vti in pluribus aliis morbis vnicum bonum, quod emetica praeſtant, euacuatio ipſa eſt: plus expectandum eſt a neruorum irritamento, quod emetica inferunt, a ſuccuſſu, quem exhauſtis fibris impertiunt, a ſolidorum actione in fluida intenſiore et vegetiore facta et a circuli humorum, ſecretionum et excretionum libertate reſtituta.

Finem operi imponunt *corollaria ex hiſtoriis morborum enarratis deriuata.* p. 156.

Rationalem (?) therapiam horum morborum non exiſtere, naturae molimina obſeruanda, vires aegrotantis rite aeſtimandas, et ex his indicationes curatiuas formandas eſſe (adeoque hoc praeter rationem eſt?) ſtatuitur.

Venaeſectiones, emetica, purgantia damnat Cl. Auctor: quo vero iure emetica in vniuerſum damnet, iam docuimus. Specificam medicinam non proſtare aduerſus febres neruoſas ſtatuit. Putat adeo, nondum eſſe definitum, quibus ſub indiciis cortex Peruuianus in his febribus ſe ſalutarem nociuumue praeſtet. — Opii vſum timet, neque ſopientem medicinam adhibet, niſi alui profuſio immoderata incidat, vigilias enim, corporis iactationem, inquietudinem atque ſoporem praeternaturalem opium inducere, neruos debilitare, atque coctionis criſeosque negotium turbare ait. (Haec alii aliter fieri obſervarunt, iique viri fide digniſſimi. Criſes ſane, ſi ob neruoſam ſenſibilitatem, fibrae mobilitatem et debilitatem ſuccedere nequeunt, nil efficacius, nil certius determinat opio, morbo antea ad ipſam criſin praeparato). Veſicatoria egregios effectus praeſtiterunt. Regimen paulo calidius optimum eſt.

Difficul-

Difficulter febris neruoſa cum putridis gaſtricaque complicata cognoſcitur: medela aeque difficilis eſt. — Sudor immodicus abſque reliquis criſeos bonae ſignis ſemper malus eſt. Generatim nulli valetudinis redeuntis ſigno fides habenda eſt. Haemorrhagia aluique fluxus morbum nunquam ſolvunt, ſaliuae vero copioſior profuſio vtplurimum ſalutem futuram promittit.

Tuſſis, difficilis deglutitio, reſpiratio difficilis, praecordiorum anxietas, dolor, caet. non inflammationem, non peregrinas ad praecordia haerentes materias, ſed neruorum perturbatas affectiones et ſpaſmodicam affectionem denotant. — Surditas ſola neruoſa affectio eſt, ſi his febribus ſuperuenit. Metaſtaſes generatim in his febribus periculoſae ſunt. Parotides nunquam vidit Clmus Auctor in his morbis: ſi vero ad pulmones morbi materia decumbit, neque ſtatim ſputa decedunt, mors fores pulſat. Aphthae in faucibus natae non ſemper gaſtricae ſunt originis, neque gangraena aut petechiae in his febribus a putredine ſemper producuntur. Duratio morbi incerta, vtplurimum longa eſt: neque concluſio firma eſt, fore, vt reliqua ſtadia morbi abſque periculo decurrant, ſi primum illius expers fuit: ſubito enim morbus in peius ruit. — Mors vtplurimum placida eſt: quidam tamen cum anxietate et reſpirationis difficultate moriuntur.

V.

Mediciniſche und chirurgiſche Bemerkungen von MORITZ GERHARD THILENIVS, *der Arzneyw. Dr., Stadt- und Landphyſikus in Lauterbach. Frankf. am Mayn* 1789. 8. 467 *pagg.*

i. e.

Obſeruata medica et chirurgica.

Rara

Rarae ſunt noſtris temporibus obſeruationes medicorum, in quibus inſtituendis omnia concurrebant ad bonas vtilesque ad ipſam medicinam practicam amplificandam obſeruationes neceſſaria, opportunitas ſcilicet ad obſeruationes ipſas copioſe inſtituendas, repetendas, vſuque crebriore confirmanda ea, quae aut recenter inuenta, aut crebriore vſu nondum confirmata ſunt, et mens ad obſeruationes ipſas inſtituendas apta, aſſiduum ſtudium, doctrinaque talis, qua ſciat obſeruator, quouſque medicina in his, quae obſeruantur, proceſſerit, quae certa ſint, quae maiore illuſtratione, certitudine, indigeant. Haec omnia in Clmo Auctore iuncta eſſe raro, et feliciſſimo connubio, facile omnes, vtiliſſimas has obſeruationes legentes, perſpicient.

Loca primum deſcribit Clmus vir, in quibus obſeruationes ſuae factae ſunt, aërem, aquas, vitae genus, alimenta, numerum hominum, deinde morborum numerum quos ſingulis annis, ab anno MDCCLXXX ad annum MDCCLXXXV curandos habuit, alphabeti ordine recenſet. Quo facto notatu digniora circa hos ipſos morbos copioſius enarrantur. p. 1.

Abortum delicatulis adeo frequentem, Noſter hoc modo praecauet, vt priore abortu ſuperato, mox de altero auertendo cogitet, et quidem tonicis medicamentis. Plethoricis ſexta poſt conceptionem hebdomade ſanguinem detrahi iubet, ſanguinisque miſſionem omni deinde menſe repeti. HALLERI elixirium acidum interne datur, cum opio, ſi ſpaſmi vrgent, iunctum. — Si vterus vſque ad certum tantum gradum extendi patitur abortusque naſcitur, ſi extenſio ad hunc gradum proceſſit, vnguenta emollientia adhibere ſuadet. p. 43.

Amauroſin, SCHMVCKERI methodo obſeruata, ſaepius ſanauit. Vapores ſpiritus ſalis ammoniaci oculo admiſſi inprimis efficaces ſe praeſtiterunt.

Aphthae

p. 54. *Aphthae* dum tubum alimentarem nondum ob- ſident, optime cedunt, medicina ex rhei tinctum e magneſia data. Borax cum roſarum melle, aut danci ſucco ad abſtergenda vlcera optime conuenit. Si putridae ſunt, in cortice Peruuiano et alumine ru- cum praeſidium ſitum eſſe putat Clmus Auctor. Ad putrida et ſanguinolenta aphthoſorum alui proflu- via gummi Arabicum cum hordei cremore ſolutum vtile eſt.

p. 56. *Apoplexia* ex ſpaſmo in ambitu viſcerum vitalium ae naturalium ſubito ſuſcitato omnium frequentiſſima eſt. In ſanguineae apoplexiae curatione ſanguis ex loco, ſi fieri poteſt, emitti debet, ex quo naturali quondam modo, profuſione ante inſultum intercepta, profundi ſolebat. — Clyſteres irritantes emollien- bus ſemper praeferendi ſunt. Veſicantia orgaſmum non citant, efficaciſſime potius acrimonias verſus ex- teriora trahunt, ſpaſmosque in vaſorum ſyſtemate ſopiunt. — Inuſtio ceruicis (quam recentiora por- TII, LENTINI, aliorumque experimenta in omni hu- morum ad neruorum origines congeſtione efficaci- ſimam probarunt) crebrius tentanda eſt. — Frigida epithemata capiti apoplecticorum eorumque, qui ſanguinea verſus caput congeſtione laborabant, ian- ante SCHMVCKERI et CRELLII obſeruata Noſter ſemper cum ſucceſſu impoſuit: nocent vero, ſi fa- cies collapſa, frigida, pulſus debilis lentusque eſt: in hoc caſu emetica, excitantia et antiſpaſmodica iuuant.

De praecauenda apoplexia multa atque vtiliſſi- ma ſcitu proponuntur. Si ſanguis niger, atrabila- rius, ad coagula pronus apoplexiam minatur, *laurocerafi* aqua, ter vel quater per diem ad LX gutta data (num ſimplex, num cohobata et quoties?) opti- me conuenit.

p. 82. *Arthritis* ſubtiliorem materiem rheumatica ha- bere non videtur, vtque arthritis naſcatur, opus eſt,

vt lympha terreis particulis onuſta ſit. Ad rheumatiſmum inducendum inflammabili tantum, ad ſtagnationes et ad acrimonias ſuſcipiendas prona lympha opus eſt.

Prima indicatio in omni arthritide eſt, vt aluus expurgetur. Optime guaiaci reſina cum tartari cremore hunc in finem conuenit. Articulis tumidis ceratum imponendum eſt, quod ex cera, reſina pini, terebinthina et aeris viridi componitur. Deinde ad reſoluentem curationem procedendum eſt, ſique attenuata eſt arthritidis materies, ad diaphoreticam: doloribus puluis DOVERI ſubuenit. — Veſicatoria raro ſubueniunt: moxa vero, ſi adhibetur materia adhuc mobili exiſtente, locisque nondum inflammatis, egregie conducit.

Probatiſſima caeterum ad arthritidem medicamenta ſunt ſapones antimoniales KAEMPFII, extractum aconiti, guaiaci puluere ſupra memorati, adhibitis ſimul ptiſanis ex dulcamara, ſaponaria, ſaſſaparilla, pini turionibus. Saponem antimonialem cum galbano, ventriculo magis amicum, efficaciſſimum Cl. Auctor expertus eſt. Elixirium acidum HALLERI efficax quidem ſeſe praeſtitit, verum tamen non, quod LENTINVS V. Cl. dixerat, verum arthritidis domitorem. —

Aſthma, morbus nunquam ſanabilis, ſi vitia in ſolidis pulmonibus ſubſunt, multos in hydropem praecipitat, inprimis ſi crebro ſanguinem mittunt. — Infuſum radicis ſenegae, adhibitis ſimul aliis medicinis ex ſoluentium claſſe, efficaciſſimum ad aſthma pituitoſum eſt. — Pectoris angina, aſthmatis conuulſiui ſpecies, cauſam arthriticam fere ſemper habet, reditque, ſi ſat cito fieri poteſt, arthritica materie loco ſuo mota. p. 92.

Atrophia infantum ſoluentibus, euacuantibusque medicinis praemiſſis iufuſo glandium quernarum potato p. 97.

tato fere ſemper curatur. Danda vero eſt (et per longum quidem tempus) haec infuſio ſoluta obſtructionum parte plurima ſordibusque expurgatis: tunc reliquias obſtructionum glandes roborantonumque inſtaurant.

p. 99. *Calculos* minutiores, arenulas mucumque in vesica vrinaria optime depulit abſinthii extractum cum ſapone, data ſimul calcis aqua ex oſtracodermatibus in calcem vſtis parata, nec non ſal alcali minerale Grauenhorſtiorum cum hac calcis aqua ſolutum. Vua vrſi dolores et vrinae ardorem auxit.

p. 100. *Scirrhos ſcrofuloſos*, qui malignitatem nondum contraxerunt, diſſipauit mercurius ſublimatus cum cicuta datus. Scirrhum alium a cauſa atrabilaria ſoluens, ſaponacea methodus, laurocerafi aqua in clyſteribus viſceralibus adhibita reſoluit. Belladonna votis non reſpondit, verum ob viſus turbationem vix diu adhiberi poterat. Verum cancrum medicamenta ſanare nequeunt, neque vlla (?) in hoc morbo ab arſenico ſalus expectanda eſt.

Ad *cariem* oſſium aſa foetida valde efficax ſit, inprimis acrimonia ſcrofuloſa, arthritica, rheumatica, ſimul praeſentibus. Plures hiſtoriae cariei oſſium aut perſanatae aut lethiferae, enarrantur. Caries vertebrarum fonticuli ſecundum POTTII mentem poſiti efficaciter ſanarunt.

p. 116. *Choream Sancti Viti* Noſter crebro vidit, vtplurimum a vermibus; aut a ſcabie retrogreſſa oriundam. Nunquam vidit puerum, nunquam adultum hoc morbo adfectum. Neque haereditarium malum eſſe videtur.

p. 117. *Coeliacum fluxum* quinquies vidit in prari xxi annorum. Valetudinem hoc morbo aegrotantium nulli penitus reſtituere potuit: in vnico tantum aegro vita per aliquot annos ſeruata eſt. Hiſtoria huic praemiſſis enarratur coeliaci, in quo effectus medi-

camen-

camentorum roborantium mucilaginoſis iunctorum ſpem plurimam faciebat: ſed breui poſt mortuus eſt aegrotans, oſſe ſacro carie exeſo.

Poſt *contuſiones* et vim externam corpori illatam ſanguis in internis partibus effuſus ſemper arnica opportune data reſoluitur. Neque intereſt, num recens ſanguinis effuſio, num inueterata, num parvum, num multum ſanguinis effuſum ſit. Folia arnicae floribus Noſter praefert, quae cardialgiam anxietatemque eodem modo, quo flores, excitant. Qui cardialgia laborant, arnica opio remixta vti debent. p. 121.

Cruſta lactea viola tricolore, praemiſſis purgantibus data, ſemper ſanatur. Si parum efficax deprehenſa eſt haec medicina, a ſolo forſan nimis pingui hoc pendet, in quo creuerat. Impetiginem ſuſtulit, minus tamen ad alios morbos cutaneos et ad herpetem efficax. p. 123.

Deglutitionem difficilem raro ſanare potuit, et vix, niſi a ſpaſmo locali natam.

Epilepſia, quae ſubito aegros inuadit, noctuque, somno durante, difficulter ſanatur. Cuprum ammoniacale morbum, cuius certa cauſa cognoſci non poterat, aliquoties ſuſtulit, neque vnquam noxas pepercit. Valerianae radix multos ſanauit; oleum valerianae epilepticum ex terrore liberauit. Aliis folia aurantiorum proficua fuere, quibus efficaciora medicamenta ineaſſum data fuerant. p. 129.

Febres intermittentes gei vrbani radices non ſanarunt. Quosdam quercus cortices cum ſale ammoniaco dati liberarunt. p. 139.

Febrem puerperarum recte Noſter ceu febrem conſiderat, quae in grauiter vulneratos (neruorum et fibrarum irritabilium mobilitate praeditos) cadit, atque pro corporis, conſtitutionis et cauſarum, quae praegreſſae erant, natura varia eſſe poteſt, adeoque vario modo curari debet. Aluum leniter ducentes me-

medicinae morbum, qui gaſtricus vtplurimum
ſaepiſſime praecauent.

p. 149. *Haemorrhagiam vteri* leuiore ipecacuanha
vis doſibus data, neruos componendo ſecure
ſi vero vehementior eſt, adſtringentia iuuant: ſi
guinis plurimum profuſum eſt, vires fatiſcuntur,
ctura cinnamomi conuenit. Frigida epitheta
congeſtiones efficaciſſime praecauent.

p. 153. *Hydrocelen* per ſetaceum curandi methodus
mam reliquis eripit, quod pluribus hiſtoriis
enarratis probatur. Permulti aſthmatici hydrope
euadunt vſu crebro radicum ſolani eſculenti. Fr
ctus pomacei oleraque minus matura etiam ad
dropem crebrius generandum aliquid contuliſſe
dentur. Primum in curatione eſt, vt aquae educa
tur: ſed cuiusnam naturae aquae ſint, primum in
ſtigandum eſt. Si lympha ſpiſſior eſt, mercu
cum radicis ſenegae decoctione datus eam ſolu
poſtea per diuretica aut purgantia medicamenta
pellendam. Haeque aquas educentes medica
ſaepe non agunt, niſi aquarum mole aut prius
cta per chirurgi artem, aut ſpaſmis opio ſopitis. Sp
la ad diureſin efficaciſſima eſt: colchicum nihil p
ſtat. — Curatio hydropis poſt cauſas debilita
nati, praeclare traditur: per tonica, nutrientia,
retica non infirmantia tentanda eſt. Thoracis
drops abſque paracenteſi raro, ſi vnquam, cura
Neque paracenteſi inſtituta valetudo tota el
Digitalem purpuream ſaepe ad hydropem curand
Clmus Auctor adhibuit, obſeruauitque eam qu
ſubinde vehementer in ventriculum, inteſtinalem
bum neruosque agere, attamen aquas potenter
cere atque obſtructionibus pertinaciſſimis, imo
rhis ſoluendis aptam eſſe.

p. 189. *Hypochondriaci mali* cauſa vtplurimum in
mine tumoribusque latet, neruorum vero diſpo
mor

morbum ad maturitatem perducit. Hypochondriacum malum ſine materia raris hinc morbis accenſendum eſt: et ſi etiam materies neruos irritans ſubinde medicum fugit, tamen non raro accidit, vt KAEMPFII methodo adhibita morbus perfecte ſanetur. — Sanguinem atrabilarium, tenuiore parte carentem, difficulter per vaſa mobilem optime reſoluit aqua lauroceraſi, quae hunc effectum ſpecifici inſtar, certe praeſtat, indeque hypochondriacis, melancholicis, maniacis, in quibus ſanguinis talis ſtatus eſt, ſumme proficua eſt. Agitque haec aqua abſque omni irritatione, abſque omni ſenſu excitato, hinc vbique tuto adhibenda ad LXXX guttas ter vel quater per diem. Pharmacopoeus Lauterbacenſis errore quodam vnciam dimidiam huius aquae potauit abſque plurimo ſymptomate, ſtupore quodam excepto (ſi concentratiorem potaſſet, peior certe fuiſſet effectus: minus enim concentratam fuiſſe aquam lauroceraſi, qua Noſter vtitur, ſuſpicari licet). Clyſteribus viſceralibus huius aquae drachmas duas abſque malo euentu adiicit.

Cortices vlmi *ad impetiginem*, nec non dulcamaram non raro cum ſucceſſu dedit, raro vero curatio, abſque antimonialibus et mercurialibus medicamentis ſucceſſit. Locales herpetes, multum humoris profundentes, veſicatorium impoſitum delet. Aqua lauroceraſi ad vlcera ex herpetibus nata profunda valde efficax fuit. p. 200.

Infarctus viſcerum abdominalium, frequens ſedentariorum morbus, praeſertim pituitoſi, vim vitalem inteſtinorum minuunt magnasque, ſi per interna medicamenta curatio fieri debet, purgantium fortiorum doſes requirunt. Methodum Kaempfianam infarctibus omnis generis reſoluendis optime facere ſatis, per multa exempla docetur. Ipſe Clmus Auctor hac occaſione morbum, quo affectus per longiſſi- p. 205.

giſſimum tempus fuerat, enarrat, methodosque curatiuas, quas adhibuerat, varias.

p. 232. *Leprae*, ſeu potius cutis vniuerſae in ſquamas induratae, delabentis, nouis ſquamis iterum generatis, exemplum Clmus Auctor vidit. Facile curata eſt datis purgantibus, cantharidum tinctura, dulcamara et regulo antimonii medicinali cum cortice Peruuiano. Balneum ex aqua, in qua folia boni Henrici decocta erant, multum ad cutem a ſquamis purgandam fecit.

p. 237. *Melancholiacos* et maniacos plurimos ſanare potuit. Hyoſcyami extractum plus leuaminis aegris attulit, quam ipſum opium. Belladonna nil boni praeſtitit. Lauroceraſi aqua cum tartaro ſolubili et emetico iuncta optime votis reſpondit. Digitalis purpurea crebrius olim in hoc morbo adhibenda alvum praeclare expurgauit.

p. 239. Sanguis diu in vaſis abdominis haerens ibique corruptus morbum conſtituit, in quo nigra, atrabilaria decedunt, *melaenam* Noſter vocat. Cremorem tartari ſolubilem cum cortice Peruuiano inprimis ad vim inteſtinalis tubi reſtituendam, ſanguine eructato, laudat.

p. 249. *Morſos a cane rabido* omnes SCHMVCKERI methodo ſanauit. Vlcus diu apertum ſeruauit, eique ex vlcere profluuio curationis principem partem adſcribit.

p. 254. Senegae radix cum althea infuſa, *pleuriticis* data, lympham coagulabilem optime reſoluit multumque ad feliciorem huius morbi curationem facit. Inteſtinorum inflammatione correptis, ob irritationem ab ea excitatam, dari commode non poteſt.

p. 255. *Phthiſin* a catarrho natam, tuberculoſam, extractum cardui benedicti cum extracto radicis senegae aquoſo datum egregie ſanat. Si nulla inflammatio ſubeſt, cortex Peruuianus antiphthiſicis medicamentis

tis omnibus praeſtat. Febrem phthiſicam ſal ammoniacum et cucumerum ſuccus optime temperant. — Si febris non valde magna eſt, oleum aſphalti, vlcus conſolidans, cum eoque febrem ſanans praeclare ſubuenit.

Rheumatiſmus chronicus mercurio ſublimato dato, ſi nulla quoque venerea labes ſubeſt, egregie cedit, diaphoretico regimine ſimul obſeruato. Externe cantharidum tinctura cum ſpiritu ſalis ammoniaci remixta maxime proficua eſt. Spiritus ſalis ammoniaci cum calce viua paratus et loco dolenti impoſitus cutem ſenſim exulcerat, nataque deinde cruſta dolor remittere ſolet. Ad iſchiadicum malum optime iuuat medicamentum ex oleo terebinthinae cum melle interne datum, ſi ad inflammationes minus prona conſtitutio eſt. Faciei dolorem bis Clmus Auctor vidit ſanauitque guaiaci et cicutae ope. p. 271.

Scabiem IASSERI vnguentum optime curat. Nec neceſſaria ad id baccarum lauri additio eſt. Praeſtat vitriolum album floresque ſulphuris vnguento pomato miſcere. p. 287.

Scrofulas ſapo antimonialis cum aſa foetida et mercurio cum extracto cicutae, aconiti et oleo ligni ſaſſafraſs mixtus efficaciſſime ſanat. Si fibrae laxae ſunt, cortex Peruuianus cum aethiope antimoniali ſubuenit. — Strumam, ſi non nimis inueterata eſt, puluis ex ſpongia marina combuſta ſemper tollit.

Princeps *tineae capitis* curatio in eo ſita eſt, vt radices capillorum aegrae extrahantur. Puluis ex bufonibus calcinatis paratus nullum auxilium tulit. Tuſſim conuulſiuam extractum nicotianae optime ſopiuit. p. 293.

Vermes (lumbricos nempe) ſemen cinae optime et efficaciſſime depellit. STOERCKII electuaria pueri ſaepe recuſant. Semen ſabadillae vermes certe necat, ſed nimis irritat: valet vero in clyſteribus p. 298.

optime contra aſcarides; neque decoctionis forma iniectum in aluum irritationis expers eſt. Taenium ſtanni limatura et medicina CLOSSII efficacius depulit, quam NOVFFERI medicina: actio plurima purgantibus draſticis in taenias eſt, neque vnquam effectus vehementiores Noſter a gummi guttae maximis doſibus dato vidit.

p. 301. *Vomitum* matrona pertinacem experta fuerat. Inciſo cadauere ieiuni inteſtini pars calloſa vix calamum ſcriptorium transmittebat.

Altera ſectio titulo *minutiarum* inſcripta, rara obſeruata continet. Multa ſatis notabilia enarrantur, v. g. mulieris hiſtoria, quae d. VI. Ianuarii primum die XIX. eiusdem menſis alterum foetum enixa fuerat. Poſt priorem partum nulla plane lochia nullaque ſecundinae deceſſerunt.

Vetulae brachium gangraena ſenili ad humerum fere vſque correptum enſe feliciter reſectum eſt. Vulnus datis cardiacis atque roborantibus, breui conſolidatum eſt. Aliae adhuc vulnerum, praeſertim capitis, lethiferorum et ſanatorum hiſtoriae enarrantur. Memorabilis in his praeſertim haec eſt, qua caluariae vtraque tabula laeſa, vulnere vſque ad duram matrem penetrante omnibusque factis, quae ad ſanationem aegri vllo modo pertinere videbantur, aeger die morbi LXIV, ob cerebrum ſuppuratum obiit.

p. 337. *Tertia ſectione* hiſtoriae variolarum inſiticiarum enarrantur, quas Cl. Auctor ipſe obſeruauit. Periculi fuit, num materies variolarum naturalium aut artificialium ad inſitionem eligeretur: neque quater per inſitionem in alios artificioſe propagata materies meliores notae variolas dedit. Confluentium variolarum materiem ad inſitionem eligere non licet. Pignarum variolarum materies in vrceolum vitreum excepta, hoc ſaepius quoque interea aperto, per XXIV

dies ſeruata, nulla putredinis ſigna dedit. Pus vero a puero ſumtum, qui bonas atque diſcretas variolas habebat, nigrasque tantum duas in ſiniſtro crure, iam tertio die putredinis ſigna indubitata dedit. — Vt non putreſcat pus varioloſum, id aliquot guttis eſſentiae myrrhae ſine alcali paratae miſcere expedit.

Epidemice quae ſimul graſſabantur, variolae, ad malignius genus referendae, quartumque quemque fere puerum trucidantes, febre bilioſa putrida ſtipatae erant. Hinc et his, quibus artificio variolae datae erant, aluus probe expurgari debebat. Caeterum inſitio probe ſucceſſit, neque, niſi quibusdam, qui iam ante inſitionem venenum naturali modo conceperant quibusque febris iam ſecundo, tertioue poſt inſitionem die naſcebatur, mortifera fuit. Saltim nullae ex inoculatione mortes, niſi hae erant, in quibus naturale contagium ſimul agens accuſari poterat. Hos etiam peius ſe habuiſſe ex inſitione variolarum putat Clmus Auctor, qui diſpoſitionem ad variolas naturales maiorem habebant.

Quarta ſectione de aquarum medicatarum quarundam virtutibus agitur. p. 443.

VI.

Obſeruationes quaedam de puerperarum morbis, deque ipſarum epidemica conſtitutione. Epiſtola IOSEPH CERRI, medic. Doctoris, ad BARTHOLOMAEVM DE BATTISTI, Mediolani. MDCCLXXXVIII. Apud Ioſeph. Galeatium, regium typographum. Superiorum permiſſu. 8. pagg. 115.

Nonniſi prior pars libelli epiſtolam ad Cl. DE BATTISTI, qui diſſertationem de feminarum morbis Viennae 1782. edidit, ſiſtit, varias morborum hiſtorias

ſtorias complexa, quae non poſſunt non commenda-
re Cl. Auctoris ſtudium et in medendi methodo al-
p. 10. hibita ſagacitatem: ex quibus praeſertim memora-
mus exemplum feminae iam ante partum febre in-
termittente laborantis, ſtatim poſt partum in con-
nuam acutam mutatae, erumpentibus quarto die
variolis, hisque ſuperatis accedentibus diarrhoea,
oedemate pedum, febris intermittentis nouis inſulti-
bus; ſed purgantibus et poſtea cortice peruuiano
p. 12. feliciter ſuperatus eſt morbus. Eodem tempore
epidemice quaſi puerperas inuaſit febris gaſtrica,
curatius hic deſcripta, de qua tantum hic annotamus,
p. 28. in cardiacorum applicatione ſollicite attendendum
fuiſſe, ne praecordiorum et ventris prominentia in-
tenderetur, aut alui deiectiones plus iuſto retarda-
rentur, quod praeſertim a camphorae vſu accidere.
Vltima hiſtoria eſt grauidae pleuriticae, inflammatio-
ne iam paene diſcuſſa foetum ſeptimeſtrem enixae et
poſtea morbo putrido affectae, ex quo difficillime
p. 31. emerſit; ex quo colligitur, „ſaepe morbi inflamma-
torii finem eſſe putridi initium; quam ſint puerpe-
rae in putridam labem procliues; pectoris morbos
aut numquam, aut raro finiri per aluum, imo ſaepe
periculoſiores fieri.“

Quum autem in epidemia modo memorata alius
quidam medicus DONZELLI auctorem noſtrum
acrius in edito apologetico perſtrinxiſſet, ad eiuſdem
p. 35. refutationem adiunxit Cl. CERRI de antiquorum re-
centiorumque circa febrim puerperalem doctrina
dialogum, in qua partim demonſtrare ſatagit, febrem
puerperalem non conſtituere ſingularem morborum
ſpeciem, ſemper et neceſſario a lactis metaſtaſi pen-
dentem, partim DONZELLII methodum medendi in
caſu ſingulari, in quo ambo hi medici concurrerunt,
cenſurae ſubiicit: num ſatis modeſte, iudicent il-
quibus DONZELLII ſcriptum legere datum fuerit.

Rudi

Rudis dictionis veniam a lectoribus Cl. CERRI ipſe exorat: nos quidem pauciores mendas typographicas eodem iure optaſſemus.

VII.

IOSEPHI EYEREL commentarii in MAXIMILIANI STOLLII aphoriſmos de cognoſcendis et curandis febribus. — Tomus tertius. Vindobonae, typis Chriſtiani Friderici Wappleri. 1790. 8. pagg. 395.

Eadem, qua priores *), laude dignus, ſed ob inſti- p. 1.
tuti noſtri rationem non admittens vberiorem eorum omnium, quae vtilitate ſua ſe commendant, recenſionem: quare in enarrando dicendorum ordine potiſſimum nobis acquieſcendum eſſe perſpicimus.

Febris biliosa. Synonymia. Syſtema morborum humorale, a modernis immerito damnatum. Polycholiae idea: cauſſam proximam febrium bilioſarum in ſanguine ipſo praeexiſtere, neque ſolum ex primis viis reſorberi, quam ſententiam STOLLIVS olim amplexus, longa obſeruatione alia edoctus deſeruit; neque conſenſui neruorum tribuendam eſſe **). Polycholiae ſanatio vel natura vel arte. Febris bilioſae geneſis; amplitudo ***); duplex eius ſtadium; cauſae; ſymptomata (inter rariora pertinent petechiae, vnde quibuſdam febris petechialis peculiare genus conſtituit, et carbunculi, STOLL rat. med. T. II.);

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXII. p. 117.

**) IOH. CH. REIL de polycholia, et fragmenta metaſchematiſmi polycholiae. Hal. 1783. 8.

***) IOH. IAC. PLANER *allgemeine Ueberſicht der Krankheiten in Erfurt von* 1781–1785. *Erfurt* 1786.

indoles paraſitica, inprimis coniunctio cum variolis variationes, vel ſaburra in ventriculo praeexiſtente vel criſibus partialibus, ſucceſſiuis, vel recidiua, vel tranſitu in febrem ardentem aut putridam. Febris bilioſa ſimplex, et cum metaſtaſi: diuerſitatis metaſtaſium in diuerſis epidemiis cauſſa inexplicabilis; egregie de diagnoſi pleuritidis et peripneumoniae bilioſae, et de medici in ambiguo inter morbum bilioſum et inflammatorium verſantis officio, exemplo GVIDETI *): coniunctio febris bilioſae cum inflammatoria, cum pituitoſa (febris atrabiliaria GRANTI); in tranſitu quaedam de febre puerperarum. Exitus febris bilioſae: in mortem ex metaſtaſi ad viſcera nobiliora, ex eryſipelate interno in gangraenam abeunte, ex carbunculo internarum partium, ex tranſitu in febrem putridam; in ſanitatem, euacuationibus naturalibus vel artificialibus primarum viarum, ſudoribus, vrinis, eruptione miliari, ptyaliſmo, ictero, in alios morbos, bilioſum complicatum, putridum, intermittentem, morbos infimi ventris. Methodus medendi: in ſtadio cruditatis ſoluentia, diaeta, leuia euacuantia; in ſtatu turgeſcentiae emetica, magis tunc proficua quam in principio morbi, ad mentem b. STOLLII et Cl. HAEBERL, adiunctis monitis neceſſariiſſimis de ſelectu vomitoriorum, eadem exhibendi ratione, indicationibus eorum cautiſſime perpendendis, potiſſimum ex Ill. FRANK **). Praeparatio ad emetocatharſin per venaeſectionem methodumque antiphlogiſticam, ſi vel febris ſtationaria inflammatoriae indolis ſit, vel annua phlogiſtica diatheſis ſubortae bilioſae febri adhuc commixta, vel topica ſimul viſcerum inflammatio ſubſit; item ſi peruerſa calefaciente methodo phlogoſis in corpore accenditur.

Alia

*) Diſſ. de febr. bilioſ. et de pleurit. bilioſ. Edit. nouiſſ. Lauſannae. 1788.

**) De laruis febr. bilioſ.

Alia contraindicantia emeticorum. Signa materiae deorſum turgentis, purgantium indicantia. Quid metaſtaſi ad partem nobilem vel iam facta vel ſaltim metuenda, agendum. Conualeſcentia: diaeta, roborantia, ad mentem TISSOTI. Relapſus: generales eius cauſſae ex Cl. FINKE *). Peruerſa medendi methodus: per calefacientia, cardiaca, veſicantia, opium. Prophylaxis, rurſus ex TISSOTO. Corollaria practica: praecipue de euacuantium adminiſtratione. Subiunguntur demum hiſtoriae ſeptem morborum ex Cl. HAEBERL.

Febris pituitoſa. Synonyma: inter haec et verminoſa. Conſtitutio pituitoſa; ſaepiſſime ex ſola abſentia notarum, quibus febres diſcernuntur, eruenda. Cauſſa proxima, difficillima: non vnius tantum humoris morbus, ſed totius ſubſtantiae; pituita tamen abundans, infarctus glandularum, et morboſa neruorum irritabilitas, protractoque morbo nimius eorum torpor, aut ſimul tanquam cauſſa proxima aſſumi poſſunt, aut ſaltim tanquam proximi frequentiſſimique cauſſae proximae effectus. Decurſus febris pituitoſae: prodromi morbi; ſymptomata eum concomitantia; diſcrimen a bilioſa, putrida, continua remittente, pleuritide et peripneumonia ſaltim incipiente, febre rheumatica arthriticaue, febre verminoſa, hectica, dentientium. Complicatio cum aliis febribus: inflammatoriis et bilioſis (hinc conſtitutio atrabiliaria GRANTII): morbi quicumque conſtitutionibus humidis graſſantes plerumque aut haec ipſa febris pituitoſa ſunt, aut eius quaedam modificationes; conſtitutio catarrhalis, aſthmatica, apoplectica e. ſ. p. Exitus in ſanitatem: lyſi, in leviore praeſertim gradu; vomitu; alui fluxu, modico tamen eo; diaphoreſi; miliarium eruptione critica; p. 117.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXV. p. 427.

tica; ſaliuatione critica (HVXH.*) et ROEPER**); ſputo critico; febre tertiana vernali (GRANT). Exitus infauſti: apoplexia; ſuffocatione ex hydrope pectoris et pericardii; morte ſubita ſub ſpecie redeuntis ſanitatis, excepto oedemate pedum, forte a funeſta metaſtaſi ſeri vel lymphae ad cauum aliquod;
p. 387. metaſtaſi ad varias partes, glandulas praecipue, infauſto plerumque exitu; glandularum meſenterii inflammatione diuturna, vix detegenda. Methodus medendi potiſſimum ex STOLLII rat. med. T. II ſingulis fere aegris ſingularis accommodanda. Cautiones in ſanguine mittendo, in euacuantium vſu. Alterantia, ex antimonialibus potiſſimum. Reſolutentia, inprimis flores arnicae. Neruina. Opium. Veſicantia. Diaphoretica leniora. Corticis peruuiani decoctum ad firmandam ſolidorum compagem labefactatam. Scillitica ſub ſtatu conualeſcentiae, monſtrantibus ſe vna cum tumore crurum hydrothoracis ſymptomatibus. Noxae antiphlogiſticae methodi inſto diutius protractae, itemque euacuantium nimiorum, calidiorumque, ex GRANTIO. Hiſtoria epidemiae in tractu Germaniae mari Baltico vicino a WAGNERO obſeruatae ***).

p. 150. *Peripneumonia notha* ſeu pituitoſa, a SYDENHAMO demum et HVXHAMO rite definita, et praecipue ſecundum horum ductum deſcripta, ſubiuncta deſcriptione duarum eius conſtitutionum ex STOLLIO ****). Peripneumonia atrabiliaria GRANTII. Duae hiſtoriae peripneumoniae nothae ſub conſtitutione atrabiliaria hyemis 1786. obſeruatae. Sub finem

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. II. p. 522.

**) De ſaliuatione critica, in HALLERI coll. T. I p. 443.

***) Obſeruatt. clin. Lubec. 1737. 4.

****) Rat. med. T. II. p. 208. et T. III. p. 35.

ſinem HVXHAMI monitum, ne iuſto liberaliores ſint medici in exhibendis remediis.

Febres intermittentes (quamplurima ex Cl. TRNKA DE KRZOWITZ)*). Diuiſio earum ratione periodorum in quotidianas, tertianas, quartanas, complicatas; anni temporis in vernales et auctuminales (hic etiam relatio intermittentium ad continuas ex SYDENHAMO, et ad inflammatorias ac lentas neruoſas ex HVXHAMO); cauſſarum procatarcticarum in ſporadicas, epidemicas, endemias; diuerſitatis ſtadii in conſiſtentes, anticipantes, poſtponentes; ſymptomatum in laruatas et manifeſtas; indolis in pernicioſas et benignas (priores rarius noſtris in terris epidemicae, atque tunc maxime auctumni ſoboles). Triplex febrium intermittentium ſtadium. Febris intermittens erratica cum per ſe, tum a regulari antea curſu deflectens. Diagnoſis cum a cuiuſuis alius generis febre, tum ratione diſcriminis typorum. Tranſitus earum in morbos acutos. Effectus earum generales: ſolidorum laxitas, debilitas; fluidorum ſpiſſitudo, tenuitas, acrimonia. Extiſpicia ex GRANTIO. Cauſſae febrium intermittentium. Praediſponens in ſingulo aegro adeſſe debet: hanc diſpoſitionem in neruis potiſſimum reſidere, probabile. Sententia Cl. BANG **) de ſtimulo neruorum a bile, febrium harum cauſſa. Cauſſae euidentes febrium intermittentium: vel vniuerſales, vel ſingulares ſeu ſporadicae. Contagium earum dubium b. STOLLIO. Methodus medendi: in paroxyſmo ſeu palliatiua, et extra eum ſeu therapeutica. Antiphlogiſtica in febribus vernalibus, plethora, praeſente ſimul febre inflammatoriae indolis, in latente chronica thoracis inflammatione, aut frequente haemoptyſi, aut conſuetis haemorrhagiis ſuppreſſis, aut circulo humorum p. 178.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXII. p. 322. ſeqq.

**) Praxis medica ſyſtematice expoſita. Hafn. 1789. 8.

rum in abdomine impedito, porro in diſpoſitione ad apoplexiam, ſubinde etiam in peculiari epidemia, item in cephalalgia inflammatoriae indolis, cauta tamen a bilioſa diſtinguenda: noxia in auctumnalibus ſaburralibus cachecticorum, cacochymicorum. Methodus ſoluens, tum remediorum in fluida diluendo, tum ſimul in ſolida ſtimulando agentium; per ſalina, ſaponacea, vegetabilia, reſoluentia ſubamara, gummiferulacea, flores arnicae, martialia, antimonialia, mercurialia: vbi conueniat necne: monita inprimis de cauta diſtinctione incipientis pleuritidis a febre laruata intermittente. Methodus ſurſum euacuans: tartari emetici prae ipecacuanha praeſtantia; digeſtiua quando praemittenda; optimum vomitum excitandi tempus, paroxyſmo prorſus finito; quando emeticum noceat; monitum, ne vomitus plus iuſto repetatur in debilitate ventriculi privaque digeſtione. Methodus deorſum euacuans: vbi conueniat; purgantium ſelectus et additamenta; clyſteres; vbi noceant purgantia. Methodus praevertens: vel ſudore excitato per diaphoretica, alterantia, balnea calida et frigida, ſtragula, electricitatem, veſicantia et ſinapiſmos, frictiones ſpinae dorſi cum linimentis aromaticis, camphoram *); vel per mutationem neruis inductam, excitatis animi affectibus, attentione, imaginatione, coeli mutatione; cautio in hac methodo adhibenda. Methodus confundens, iiſdem modis obtinenda, ſed periculoſior. Methodus neruina, per roborantia et narcotica; ſola tamen corticis peruuiani ratione habita in tractatu
p. 388. ampliſſimo et vtiliſſimo, ſubiuncta ſimul in appendice corticis peruuiani rubri mentione ex cl. PLENK **). Cura conualeſcentium. Canones prognoſtici. Febres intermittentes laruatae: earum figu-

*) BANG ſelecta diarii T. II. p. 307.

**) Icones plant. medic. Cent. II. Faſc. II. p. 35.

ſigna; morborum periodicorum ſedes primaria in abdomine, ratione tamen non explicanda, niſi hypothetice. Febrium pernicioſarum indoles ac ſigna diuerſa; cura, potiſſimum largiori corticis vſu perficienda. Hiſtoriae quatuor morborum a Cl. LAVTTER obſeruatorum. Morbi febres intermittentes ſequentes: obſtructiones viſcerum abdominalium ad Ill. DE HAEN *); hydrops; mania; diabetes; fluor albus; varii polycholiae effectus; debilitatis ſequelae, potiſſimum rhachitis. Corollaria practica: de irrita corticis efficacitate, plerumque ob latentem viſcerum abdominalium obſtructionem; de purgantibus, roborantibus in conualeſcendi ſtudio interponendis; de neceſſitate corticem exhibendi in nimia debilitate ſolidorum, praeſentibus licet viſcerum obſtructionibus; de ſimilitudine tertianarum cum morbis bilioſis, et quartanarum cum atrabiliariis; intermittentes, *ſoli* mercurio cedentes, a ſtimulo venereo excitatas eſſe; de venae ſectione in inſultibus apoplecticis febrium pernicioſarum; de ſalubritate a febribus intermittentibus exſpectanda.

VIII.

C. L. HOFFMANNS, *Sr. Churfürſtlichen Gnaden zu Maynz geheimen Raths, vermiſchte mediciniſche Schriften. Herausgegeben von* HEINRICH CHAVET. *Erſter Theil. Münſter,* 1790. *Bey Friedrich Chriſtian Theiſſing.* 8. *pagg.* 534. *ſine praefatione et contentorum conſpectu.*

i. e.

C. L. HOFFMANNI opera varia medica, edita ab HENR. CHAVET. Pars prima.

Mutato conſilio Cl. CHAVET iam primam partem operum germanicorum minorum Ill. HOFMANNI

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 496.

ni exhibet, latinorum editione adhuc dilata *). Ex iis, quae hac parte continentur, nonnulla iam seorsim prodierunt, a nobis asteriſco signanda.

p. 1. I. *Tractatio de morbo miliari eiusque curatione in genere* (1756). Praemiſſa morbi definitione ac diuiſione quaedam de putredine animali. Partes putreſcentes, ſanis additae, in his putredinem prius euoluunt, quam id ſponte eueniret. Putredo non minimo momento corporibus potitur, ſed particulae putridae quantitate ſucceſſiue increſcente generantur. Quamdiu partes putreſcentes vel in corpore genitae vel in illud ingeſtae per vrinam et ſudores rurſus euacuantur, putredo in corpore euolui nequit. Perſpiratione igitur ſuppreſſa, maior copia iſtarum particularum in corpore gignitur, acrimonia ſua vaſcula cutanea ſtringens, perſpirationem cohibens frigusque excitans, quod diutius perdurans tandem acres in ſanguine particulas adeo auget, vt corde vaſisque irritatis febris oriatur. Materies miliaris, organo excretorio cutaneo prae reliquis deſtinata, ſi hic ſtagnat, pruritum, punctionis ſenſum, dolores ad dorſum, inflammationem excitat, eodem modo vt fruſtulum carnis vel emplaſtrum cuti impoſitum. Miliaria rubra ſaepe, aeque ac alia inflammationis genera, diſcutiuntur; in ſuppurationem ſi abeunt, in alba mutantur, deſquamatione demum terminanda. Diſcrimen materiae miliaris a materie febrium putridarum iam non tangit Ill. Auctor. Curatio eo dirigenda eſt, vt quantum fieri poſſit, euacuatio particularum putridarum iuuetur, earumque generatio impediatur. Induſia, antequam aeger iis vtatur, per paucas horas ab alio geſtanda iubet ſuccinogo ſuffienda, ne ſuperſtites forſan a ſapone particulae putridae corpus aegroti intrent. Purpuram puerperarum in Weſtphalia penes infimae claſſis homi-

nes

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXII. P. II. p. 290.

nes ſe numquam obſeruaſſe, nutrimento ex ſola cereuiſia cum acido iſtius regionis pane cocta, ſtraguliſque vilioribus adſcribit. Acidorum mineralium dulcificatorum in praecauenda particularum putridarum generatione illud videtur eſſe diſcrimen, vt muriaticum particulis putridis in primis viis oriundis, vitriolicum ſpaſmis, nitroſum calori quam maxime reſiſtat. Ex ſalibus mediis communis ob excitatam inde ſitim alienus eſt; nitrum illam potius extinguit; ſal ammoniacus putredini omnium potentiſſime reſiſtit, ideoque nitro diuerſa pro vario putredinis gradu proportione admiſcendus eſt; tartarus vitriolatus ſublato maximam partem morbo ad reſtituendum appetitum exhibendus. Terrea per ſe aliena: ſed acidis ſaturata particulas oleoſas corruptas in primis viis abſorbent. Emulſiones ex ſeminibus nocent, quum experientia teſte nihil facilius corrumpatur: inde vtique vis exanthemata expellendi, materia eorum copioſius genita. Somni ad ſuſtentandam tranſpirationem vtilitas. Potus nonniſi is, qui facillime per vrinam tranſit. Ad eliminandam bilem putridam, miliarium fomitem, ipecacuanha, vel vbi vomitus cieri nequit, aloe ad grana decem ob gratiam praeuertendasque vires calefacientes in aceto rubi idaei ſoluta, ſubiunctis ſalibus antiſepticis; aut rheum aut ſal anglicus ſiue de Seignette. Venaeſectio nonniſi accedente alio morbo inflammatorio. Purpura retrocedens tunc demum mali augurii, quum deleta ſenſibilitas, aeque ac eo in caſu, vbi veſicantia non agunt, aut vlcera chronica et fonticuli exſiccantur.

II. *De inflammatione eiusque ſequelis* (1758). p. 81. Cauſſae remotae ſunt irritatio ſatis vehemens perduransque cum impedimento ſanguini redeunti per compreſſionem venarum facto. Globus plumbeus ſuperficiei laeuis, in vulnere inflammationem non

mouet, quod tamen panni vel lanae particulis reſi
euenit, humores quippe ſugentibus in putredi
abeuntes. Veſicantium actio declarata *), qu
poſtea ad gangraenae ortum applicatur. Denſitas
ſanguinis, extremitates arteriarum obſtruentis, cau
ſam generalem inflammationis **) eſſe non poſſ
his argumentis probatur: quia non in eo demu
loco, vbi exiſtit inflammatio, ſed vbique in corpo
talia vaſa ſanguini eiuſmodi tranſitum negatura e
ſent; quia ſanguis eiuſmodi in ſanis vere adeſt, q
facile eam conditionem aſſumere poteſt, inflamma
tione tamen inde non ſequente; quia poſt tres qu
tuorue ab inflammationis initio dies, hac licet adhu
ſubſiſtente, non amplius adeſt; quia ingrediens ſa
guis extremitates vaſorum nonniſi accedente ſpa
obſtruit; quia denique multae ſunt ſpecies inflam
mationis abſque illa obſtructione, vt in ſaliuatio
mercuriali, coryza, ophthalmia: neque conicam v
ſorum figuram huic obſtructioni fauere, quandoqu
dem eadem figura ab iiſdem cauſſis, quae globuli
ſanguinis impellunt, ampliato vaſe mutatur: accedi
praeterea diuiſibilitas globulorum ſanguinis in m
nores, obſtructionem praepediens. Congruenter
ſanguis tunc demum inflammationem excitat, ſi
vaſa obſtruit, vt impetu ſanguinis in vaſa ſeroſa auc
in his extenſio e. f. p efficiatur. Motum ſanguin
in vaſis minoribus impacti non penitus ceſſare, docet
rubor partis inflammatae: plenaria enim ſtagnatio
(ſphacelus) colorem obſcuriorem ſiſtit. Propter re
ctam vero reſiſtentiam minor copia ſanguinis impe
litur et mouetur, accedente etiam motu propter di
metrum dilatatam retardato, quum docente hydro
lica velocitates ſint in ratione inuerſa quadrati di
metri vaſorum. Ex motu hoc retardato propen

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XXXII. P. II. p. 292.
**) Ibid. p. 291.

in putredinem, et inde ſublata nondum reſorptione, febris inflammatoria: inde corticis peruuiani vſus in ea praecauenda et infringenda. Inflammationem ergo in parte affecta, non in maſſa ſanguinis gigni. Ex his definitur inflammatio per motum ſanguinis per vaſa adeo exigua, vt in ſtatu ſano cruorem rubrum non tranſmittant: eiusque cauſſa proxima ponitur in productione virium huic motui efficiendo parium. Varii inflammationis exitus in reſolutionem, ſphacelum, ſuppurationem, vel ſcirrhum. Ad reſolutionem ſanguis ipſe impactus nihil conferre poteſt: ſed cauſſarum remotarum rationem haberi oportet, tollendo cauſſam ſpaſmi, ſiue illa ſit acrimonia humorum, ſiue inſtrumentum irritans, ſiue inaequalis tenſio fibrarum; vel compreſſionem vaſorum venoſorum; vel congrumatum ſanguinem reſoluendo et in maſſam humorum reducendo. Pus mere ex globulis ſanguinis reſolutis conſiſtit: eo tamen genito motum humorum in vaſis non ceſſare, docet experimentum, vbi hellebori albi fruſtulo in fonticulum illato diarrhoea excitatur. Sub hac ſolutione eae particulae, quae maxime in putredinem procliues ſunt, ſeparantur et in ſanguinem redeunt: inde febris hectica phthiſicorum. Ingens ſaepe expanſio vaſorum pus continentium, nec tamen diſruptorum. Pus reſorberi interdum poſſe, omnino veriſimile. Suppuratio quum partes putridas ex loco affecto in ſanguinem reducat, inde patet, cur ſub eius exortu gangraena ſiſtatur. Scirrhi ex coalitione vaſorum, ſiue ob contractionem eorum ſpaſticam, ſiue ob compreſſionem, ortus: eius tranſitus in cancrum occultum et apertum. Glandulae eidem praeſertim obnoxiae ob tunicam eas inuoluentem, earum extenſionem impedientem adeoque perpetuam compreſſionem efficientem. Vſus practicus huius doctrinae prae ea, quae cauſſam inflammationis in den-

ſtate ſanguinis ponit. Venaeſectio ſub initium ad minuendas vires cor et vaſa nimis diſtendentes, ipſamque ſanguinis maſſam, irritationemque, inflammationis cauſſam: eius noxa imminente iam crisi, tunc demum exſpectanda, quum ſpaſmus venarum ſublatus eſt; item noxa eius, maſſa humorum particulis putridis inquinata. Purgantia antiphlogiſtica, clyſteres; diaeta; aër; medicamenta antiſeptica externa et interna, camphora, ſales medii, potiſſimum nitrum (haec quidem, vt nobis videtur, nec perfecte nec diſtincte ſatis: ſed noſtri officii eſt, ſuccincte ea tradere, quae Ill. Auctor vberius propoſuit, iudicio lectoribus relicto), externe adſtringentia, aromatica ad diſcutiendam ſtaſin inflammatoriam ſanguinis a cauſſa externa ſpiritus cochleariae cum vino paratus. Vbi nec a tranſpiratione aucta, nec a reſorptione antiſepticorum vtilitas exſpectari poteſt, epithemata non calida, ſed frigida conueniunt, vt in inflammatione cerebri, itidem ex ſpiritu cochleariae, ſuadente G. W. WEDELIO, ſuperimpoſita adhuc aqua frigida ſeu arte frigidiore reddita. Neceſſitas examinandi cauſſas praegreſſas inflammationis easque remouendi. Cura gangraenae et ſphaceli: evacuantia; antiſeptica; ſcarifationes; cauſſae removendae: in addita annotatione Cl. Editor de noxis et nimis arcta faſciarum applicatione diſſerit. Suppuratio quando iuuanda. Tandem ex recentiori Ill. Auctoris tractatu 1778. conſcripto de iis, quae an valeat in ſcirrho. Fieri poteſt, vt interdum ſcirrhus ſponte, aeque ac verruca ſeu clauus pedum, euaneſcat: ad quod obtinendum credibile eſt conferre aliquid poſſe denegatum acceſſum humorum ad eum, vel debilitatam aut ſublatam actionem nerui ad eum tendentis (inde vis remediorum ex claſſe plantarum venenatarum), vel affluxum acrimoniae cuiuſdam, v. c. venereae, ad eum impeditum. Inde tamen ob-

ſtructio-

ſtructionem vaſculorum minimorum glandulae cuiuſdam ab humore viſcido ex cauſſis ſcirrhi ſe non excludere monet. In deligatione poſt exſtirpatum ſcirrhum ſumma cautio adhibenda, ne vllo modo compreſſio exiſtat. Nullum aduerſus ſcirrhum remedium exſiſtere, quod eidem curando ſemper par fuerit (in puella cancrum faciei apertum vnguento ſpiſſiore ex axungia curruum, quatuor partibus farinae ſecalinae et radicis gentianae ſanauit Ill. Auctor, eodem remedio aliis in caſibus effectu deſtituto): neque conſtare, quis ſcirrhus, et quibus remediis, curationem admittat nec ne.

III. THOMAS BOLTEN, *pharmacopola Monaſterienſis, effectus lethiferos cicutae deſcribit, quum quinque milites Hanouerani 23. Mart. 1762. herbam hanc oleris loco comediſſent* (*Monaſterii 1762.*) Iam ſub prandio ex herba cum pinguedine quadam cocta ſinguli riſu corripiebantur, eoque vix finito vnus debilitatem viſus querebatur; vix elapſo quadrante horae amentes reddebantur; poſt dimidiam horam concidebant, motu voluntario prorſus ſublato; lethargus; denique ſub conuulſionibus mors, in tribus ſeſquitertia poſt prandii initium hora, in reliquis duobus vix dimidia hora poſt. Sextus nonniſi cochlearia aliquot aſſumſerat, qui, delirio correptus, emetico ſeruabatur. Altero die vnius cadauer ſecabatur: ſcrotum liuidum, maculae aliquot in ſuperficie corporis, praeſertim ſub hypochondriis; inteſtina vacua, inflata, pellucida; ventriculus herba (radicis nullum veſtigium) vbique repletus, niger; pectus ſanum; cerebri vaſa turgida, hinc inde etiam guttis aliquot ſanguinis extra vaſa miſſis. Curioſius examen alia chirurgi officia impediuerunt. Cl. BOLTEN aſſerit, ſe diuerſas cicutae ſpecies ſolo odore optime diſcernere poſſe: hanc, quam viderit et a cuius eſu milites dehortatus fuerit, fuiſſe ſpeciem maiorem; p. 255.

ſuperſtitem bonum ſaporem oleris praedicaſſe, nec quod reliquum fuerit, odorem tetrum, conio maculato etiam poſt coctionem proprium, obtuliſſe (videtur ergo fuiſſe cicuta viroſa). Huic igitur relationi ſubiungit epiſtolam Ill. HOFMANNI ad ſe directam, in qua vtilitatem remediorum externorum ad curationem morborum internorum, et praecipue vſum externum cicutae interno extracti eiuſdem iunctum commendat, ſolummodo reſolutionem glandularum induratarum tumorumque reſpiciens (Monſpelienſes *emplaſtro* de cicuta interne vſos eſſe, ſine dubio typographi eſt error). Femina 38 annorum tumore ſcirrhoſo mammae laborabat, ad emplaſtri et cataplaſmatis ex cicuta vſum rebelli; internum extracti vſum nec in pilulis nec in ſolutione cum aqua cinnamomi ne minima quidem doſi ferebat; ſuaſit igitur Ill. Auctor balneum tepidum ex infuſo recentis herbae, panno duplicato ſuper labrum extenſo et circa collum firmato, ne vapor caput tentaret, quem in finem etiam acetum naribus admouebatur; hoc remedio quum quotidie, paucis diebus exceptis, ad dimidiam horam vſa fuiſſet, poſt ſex hebdomades prorſus conualuit. Aeger aſthmate et hydrope ab arthritide retrogreſſa laborans, optimis remediis antea irritis, quatuor eiuſmodi balneis ſimul in vſum ductis reſtitutus eſt; quibus quamdiu vſus eſt, perpetuo ſaporem cicutae in ore percepit, et adſtantes etiam poſt coenam ſimilem odorem ſenſerunt. Femina 45 annorum, cancro mammae iam rupturam minante nouem balneis intra tres hebdomadas multum leuata eſt, curationique tunc temporis, quum haec ſcriberentur, propior reddita. Animaduerſiones quaedam: in parando extracto plures partes actiuas perdi, quam in balneo; medicamenta per ſuperficiem externam corpori illata minus mutari, quam ore aſſumta; hyemali tempore forte extra-

Etiam

ctum efficacius futurum videri, quam balnea, tunc nonniſi in herba ſiccata parabilia; vbi difficilius adhiberi poſſint balnea, tentandum, quid herba lectis inſtrata praeſtet. Rurſus relatio cancri faciei curati, cuius iam in tractatu antecedenti mentio facta fuerat. An in tuſſi conuulſiua balnea vel ſemicupia ex infuſo picis liquidae, vel ex ſulphure et calce viua? quaerit Cl. Editor. Halitus cicutam redolens excitat ideam vires eiuſmodi balneorum vel ex aliis plantis paratorum in phthiſi tentandi. De efficacia remediorum externorum, ad obſeruationem b. DE HAEN de verbena*). Conſilia inſtituendorum eiusmodi experimentorum.

IV. *De bona methodo medendi variolis, nouoque* p. 393. *efficaci remedio in malignis et confluentibus, quod primo tentamine admodum proficuum ſe probauit* (*Monaſterii* 1764.). Exordii loco vindiciae ſcientiae medicae adverſus obtrectatores eiuſdem, ex maiori ſecuritate aduerſus morbos olim adeo pernicioſos, luem veneream et variolas. Commodis ab inſitione repetendis multum detractum iri, ſi numerus eorum, qui ab inſitis variolis moriantur, non comparetur cum iis, qui naturalibus ſibi ipſis relictis aut peruerſe tractatis obierint, ſed qui bona methodo curati fuerint: ſibi per viginti duos annos nonniſi duos infantes, vno patre vſos, periiſſe, quod tamen ipſe raram fortunam dicit, numquam accedentibus momentis morbum aggrauantibus. Praeparationem aeque ac ante inſitionem locum habere. Commodum inſitionis in opportunitate temporis et benignitate epidemiae ponendum compenſari eo, quod permulti ab eodem morbo immunes ſenectutem attingant, neque, qui iiſdem prorſus non ſint obnoxii, in epidemiis periculum incurrant (verum vltima huius tractationis verba p. 361. ſunt: „variolae nonniſi perpaucis parcere

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XII. p. 141.

cere ſolent" — ſed repetimus, quod iam ſaepe fe-
mus, nos hic non cenſorum, ſed, quod aiunt, rele-
rentium tantum munere fungi). Dubium eſſe, an
infitio hominibus parcat. Inſitioni igitur apta va-
riolis medendi methodus praeferenda eſt, hic expo-
ſita, quam nunc praeterire poſſumus: in ea prima
etiam mentio fit amplioris operis, de quo pro-
xime diſſeremus. Variolarum verarum reditus pror-
ſus negatur, huiusque ſententiae probatio in eodem
opere promittitur. Iam hiſtoria morbi matronae
nobilis, variolis confluentibus peſſimis laborantis, in
qua nec potus acidus (elixirii acidi Dippelii drach-
mae duae ad menſuram aquae et ſex vncias ſyrupi
cuiuſdam), nec corticis peruuiani largior vſus, nec
camphora in clyſteribus, nec epiſpaſtica multum
praeſtiterant, quare 6. ab eruptione die mixturae ex
camphorae in vitello ouorum (cuius indolem ſepti-
cam multum ſuperet vis camphorae) ſolutae drach-
mis duabus cum aquae cinnamomi ſ. v. vnciis tribus
totidemque ſyrupi rubi idaei omni bihorio cochleare
maius, circiter grana viginti camphorae continens,
porrigebatur, quarta autem doſi ab aegra, paullum
ad ſe reuerſa, repudiata, vncia vna cum ſemiſſe qua-
vis ſeſquialtera hora vt enema iniiciebatur, ſinapiſmis
ſimul addita camphora plantis pedum impoſitis.
Quum haec, iunctis euacuantibus, malignitatem mor-
bi nondum vincerent, ſed ſymptomata funeſtiſſima
redirent, die 11. camphorae ſolutio aqua roſarum
diluta linteis illinebatur, corpusque, excepta facie,
iis intra 16 horas ter renouatis inuoluebatur, clyſte-
ribus ex cortice peruuiano et camphora interpoſitis,
vnde tandem adhibitis remediis aptiſſimis aegra in
ſanitatem rediit, odore ſumme cadaueroſo faecum
tamen nonniſi elapſis tribus hebdomadibus euane-
ſcente: camphorae in toto morbi decurſu adhibitae
vnciis octoginta! Sub ſtadio exſiccationis, die 23. ab
eru-

eruptione, abſceſſus paruus in regione temporali ſiniſtra, isque vnicus in toto corpore, oriebatur, qui altero mane excitato dolore punctorio vehementi oculi euaneſcebat, quem leuis eiuſdem inflammatio et plenaria caecitas ſequebantur, ſed poſt tres dies iam imminuta, poſt ſex prorſus ſublata, nullo remedio, niſi aqua ophthalmica quadam, adhibito. Tandem quaeſtiones quaedam practicae de tentando vlterius camphorae in variolarum diuerſis ſtadiis aliisque febribus malignis et ex putrido fomite ortis vſu.

V. *Confirmatio peculiaris virtutis noui remedii in variolis malignis et confluentibus — cum defenſione methodi medendi Ill.* HOFMANNI, aduerſus Cl. C. H. SCHÜTTE *ium. Cliuiae, auctore* CAR. HOFFMANN, *M. D. Gronauiae* (*Monaſterii* 1765.). Acidum vitriolicum, licet putredinem praeuertat, praeſentem tamen non coercere. Inſufficientia atque adeo noxa remedii a Cl. SCHÜTTE ad praecauendas variolas earumque cicatrices in facie propoſiti, laruae ex panno laneo confectae; virus varioloſum ſpecifice faciem petere, cuius rei probatio vberior promittitur. De opii vſu ſub eruptione: vinum et ſpiritum cornu cerui eidem nullo modo ad tollendum ſpaſmum vaſorum cutaneorum aequiparari aut ſubſtitui poſſe; vanum eſſe metum conuulſionum aut putredinis ab eodem. Opium et acidum vitriolicum ſibi non contrariari. Virtus eximia camphorae nouis obſeruationibus Cl. TRAMPEL aliorumque comprobata. p. 363.

VI. *Argumenta pro inſitione variolarum et contra eam, in dialogo* (1765). Inter nobiles epiſcopatus Monaſterienſis quartum quemque adultum variolas non paſſum mori. Indices mortuorum nihil probare, quum his etiam ii inſerantur, qui abſque auxilio conueniente perierint. Commoda inſitionis ponenda eſſe vel in diuerſitate materiae varioloſae, vel rationis eam applicandi, vel morbi ipſius, vel circum- p. 429.

ſtantiarum: omnia iſta in naturalibus aeque obtinere poſſe ac in artificialibus. Matronae iſtius illuſtris ſuperiori tractatu memoratae, infantes, cum ipſa conualeſceret, contagium ab ea ſuſceperunt, morbo benigniſſimo inde enato. Circumſtantiarum tamen diuerſitatem in inferioris ſortis hominibus magis fauere inſitioni, ab opulentioribus quippe melius ordinandarum. Argumenta moralia conſulto non tanguntur.

p. 443. VII. *De modo tractandi variolas* (*in litteris Moguntiam ſcriptis* 1768). Mors a variolis per ſe inductae putredini humorum debetur. G. W. WEDELIVS iam ante BOERHAAVIVM vires hydrargyri aduerſus variolas vſu perſpexit. Ill. Auctor a plus quam viginti annis pilulas ad variolas tanquam arcanum, ne contradictiones aliorum incurreret, adhibuit, quarum praeparationem nunc eam tradit: mercurius dulcis in ſubtiliſſimum puluerem redactus immittitur in mortarium lapideum calefactum, ibique pariter caleſcat, quo omnis humiditas diſſipetur. Tum adfundatur quidquam ſpiritus vini tartariſati, iisque tempeſtate ſicca deflagret, quod ter repetatur, mercurio ſub ipſa deflagratione frequenter filo ferreo agitato, operaque adhibita, ne vel minimus ventus flammam intempeſtiue extinguat. Ex huius mercurii deflagrati granis quindecim ope micae panis fiant pilulae viginti. Praeparationis loco cum ante inſitionem, tum graſſantibus variolis naturalibus, niſi peculiaria adſint momenta mercurialium vſum vetantia, tertia quaque vel quarta die ante ſomnum exhibentur harum pilularum infanti tot, quot annos natus eſt, adulto quindecim, vſu tam diu protracto, donec aut non amplius purgant, aut vermes amplius non eiciant. In ſcorbuticis mane poſt pilulas exhibetur aeſtate manna cum cremore tartari, hyeme extractum catholicum; tunc diebus intercalaribus decoctum

ctum bardanae aut ſarſaparillae. In iis, qui antea febre intermittente laborauerunt, eodem temporis ſpatio corticis peruuiani ſeſquiuncia. Diaeta ſimul ſit antiſeptica, vitetur nimius motus corporis. Si neceſſitas vrgeat, inſitio protinus ſuſcipitur, vel materia recenti, vel filis, laeſione quam fieri poſſit minima: fila non diutius 24 horis relinquenda, niſi quum adglutinata fuerint, tuncque exſpectandum, donec ſponte decidant. Sed ab hac inſitione praeparatio iam deſcripta adhuc adhibenda eſt, donec initia morbi ſe oſtendant: pilulis frequentius propinandis, quum locus inſitionis multum inflammatur. Si morbus cum pulſu accelerato, dolore capitis, laſſitudine, vertigine, dolore artuum et dorſi ingreditur, protinus pilulae decem, altero mane lene euacuans danda ſunt; numerum pilularum ſymptomata determinant. Sic etiam in initio naturalium, febre intenſiore, niſi diarrhoea adſit, doſis pilularum per duos tresue dies repetenda, adiuncto ſimul, vbi calor multus, clyſtere refrigerante: etiam ſub ipſa eruptione pilulae, ſed nonniſi duae vel tres; in ſtadio exſiccationis iterum camphora externe, modo in prioribus deſcripto, adhibita, putredinem in variolis ipſis corrigit, antequam in ſanguinem reſorbeatur, quod nullis remediis internis effici poteſt, quae, quicquid vnquam exſpectari poterat, praeſtant, ſi ſanguinem putridis particulis reſorptis inquinatum quodammodo corrigunt. De reliquo autem monet Cl. Editor, camphoram reliquas cauſſas mortis ſuperare non poſſe, v. c. vermes, potus defectum, aeris inſpirati vitia.

VIII. *De diuerſitate morbi varioloſi in genere* (1777). Non pendet a diuerſitate contagii, ſed corporum. Caeteris enim paribus, eo benigniores variolae, quo meliores ſucci, eoque maligniores, quo deteriores illi. Bona conſtitutio ſuccorum optime ex prompta felicique vulnerum ſanatione pateſcit. p. 471.

Conta-

Contagium inſpiratum nec in pulmones nec in ventriculum agit, ſed in ſingulares glandulas cutaneas eius ſuſceptioni vnice deſtinatas (haec eſt celebris illa Ill. Auctoris theoria, in operis maioris, cuius partem ſecundam proxime indicaturi ſumus, parte prima ſtabilita); neque nauſea vomitusque ab eiusmodi actione pendent, ſed a miaſmate in glandulis varioloſis genito et in ſanguinem transgreſſo: quare argumentum in fauorem inſitionis petitum concidit, hic contagium cuti immediate applicari, non per circulum humorum eo deferri. Cur variolae artificiales plerumque parcius erumpant, quam naturales? neque ideo, quia per locum inſitionis pus effluit, neque quia contagium extus applicatur; ſed quia in naturalibus iam maior minorue gradus corruptionis humorum praeceſſit, inſitione potiſſimum tunc optime ſuccedente, quum vel prorſus non, vel parciſſime graſſantur variolae, commodiſſimo anni tempore, et quae ſunt reliqua. Quatenus ergo prophylaxis in noſtra poteſtate ſita ſit, docet.

p. 497. IX. *Diſquiſitio, in quantum internus mercurii vſus ad praeparationem in morbo varioloſo ſit commendandus.* Excluſis iis, qui febribus, ſcorbuto, morbis venereis laborant, alia vitia cutanea, ſcabies, vlcera, ante inſitionem praeparationem per mercurium ferunt, cuius vtilitas haec eſt, vt humores corrigantur, variolarum numerus minuatur (quod multiplex experientia Ill. Auctorem edocuit) et incommoda a vermibus metuenda auertantur. Similis eſt ratio variolarum naturalium. Remedii prophylactici ex mercurio et antimonio coniecturam non BOERHAAVIO, ſed HELMONTIO et poſt eum ANDR. BVXBAVMIO (diſp. de variolis hactenus in patria graſſatis, praeſ. BOHNIO, Lipſ. 1679.) deberi, Cl. Editor monet. Dubia contra hydrargyri vſum: illum eſſe remedium potentiſſime reſoluens putredinemque promouens,

adeo-

adeoque noxium in morbo a putredine genito — verum lues venerea itidem eſt morbus a putredine genitus; eos, qui antea lue venerea per ſaliuationem liberati ſunt, plerumque variolas malignas pati — at diſpiciendum eſſet, num virus venereum curatione inſtituta perfecte victum ſit (adderemus: viresque corporis bonitasque humorum, corticis inprimis peruuiani vſu obtinendae, redierint) nec ne.

X. *Cur in aegris varioloſis ſibi ipſis relictis plerumque plurimae puſtulae in facie, pauciores in manibus, pauciſſimaeque in reliquo corpore erumpunt? et quomodo copioſior in facie praecauetur eruptio?* Cauſſa in maiore gradu caloris iſtarum partium prae reliquo corpore in quouis morbo febrili ſita eſt. Neque ergo veſicatoriis, neque pediluuiis, neque obtectione iisdem immunitatem a variolis conciliabimus, ſed ſubtrahendo calorem lecti, aëris frigidi admiſſione, et ſi hoc non ſuffecerit, crebra aquae frigidae applicatione. Calor etiam in aliis corporis locis maiorem puſtularum copiam prolicit. Cura faciei vel ideo neceſſaria eſt, quia, SYDENHAMO monente, copia variolarum in ea periculi gradum definit. Regiminis moderate frigidi vſus ſub febre eruptionis et eruptione ipſa. Dari tamen corpora, ſed rariſſime, in quibus excedens adeo calor nonniſi paucas variolas producat. p. 517.

IX.

C. L. HOFFMANNS, *Sr. Churfürſtlichen Gnaden zu Mainz geheimen Raths, Abhandlung von den Pocken. Zweyter Theil, worinn die Pathologie der Pockenkrankheit ferner berichtiget und gezeiget iſt, warum der Menſch dieſe Krankheit nicht mehr als einmahl bekommen kann. Mainz und Münſter, im Verlage der Perrenonſchen Buchhandlung, gedruckt*

druckt in der Kurf. privil. St. Rochus Hospital. Buchdruckerey, durch F. W. Cordon 1789. 8. *mai. pagg.* 326. *praef. pagg.* XCIV.

i. e.

C. L. HOFMANNI commentatio de variolis. Pars secunda, in qua morbi varioloſi pathologia vlterius euincitur et monſtratur, quare idem hominem ſemel tantum adficere queat.

Quod prima pars operis huius *) in commentariis noſtris indicata non fuerit, ob eam fortaſſe rationem accidiſſe arbitramur, quod, qui tunc eorum curam gerebant, quod reliquum erat doctrinae, breui ſequuturum ſperauerint. Itaque poſt interiectum adeo longum temporis ſpatium lectores noſtros vix exſpectaturos poſtulaturosue putamus, vt ampliorem iſtius primae partis notitiam exhiberemus. Sufficit ergo, paucis indicaſſe, ſecretiones diuerſas in diuerſis organis a diuerſa grauitate ſpecifica particularum ſecernendarum proficiſci; cauſſam variolarum eſſe materiam putridam ſui generis, a peculiaribus organis, nonniſi in cute exiſtentibus, quae glandulas dicit Ill. Auctor, contagio ſuſceptam, ibi euolutam, et regrediendo maſſam ſanguinis inficientem; glandulas has pure collecto earumque orificium obſtruente eleuari in puſtulas, ſuppuratione deſtrui, ideoque reditum variolarum impoſſibilem reddi e. q. ſ. r.

In praefatione huius ſecundae partis primo loco ſtudiorum ſuorum, cum academicorum, tum continuatorum, rationem reddit Auctor (diſſertationem de attrahentium actione a ſeipſo conſcriptam eſſe profite-

*) C. L. HOFFMANNS *Abhandlung von den Pocken. Erſter Theil, worinnen die Erzeugung der Pockenmaterie und anderer anſteckenden Krankheiten vor Augen gelegt wird. Münſter und Hamm.* 1770. gr. 8.

profitetur, de quo olim *) ſubdubitabamus); variorum tractatuum vel iam editorum vel limae adhuc ſubiiciendorum (inter quos etiam tractatum de inflammatione, nuper a nobis indicatum, nominatum inuenimus) ortum tradit; quomodo ad conſcribendum de variolis opus deuenerit, exponit; breui contenta partis primae repetit, monſtrans, quae vel minus accurata vel falſa propoſita fuerint, vel omiſſa, inprimisque docens, cur nullus morbus contagioſus ab hominibus ad reliqua animalia tranſeat, et in his etiam, ſola hydrophobia excepta, nonniſi eiuſdem generis ſubiecta afficiat: nimirum quia ſingulis animalium generibus ſingularia ſint organa ſecernendis humoribus dicata, iique ipſi in ſingulis generibus diuerſi (ita v. c. animalia variolis non ſubiici, quia aut glandulis varioloſis, aut eorum ſucco, aut vtriſque careant), fluidum nerueum autem, probabilis hydrophobiae ſedes, in omnibus animalibus vni eidemque fini, ſenſui et motui, inſeruiat, ideoque opus non ſit, vt in diuerſis animalibus diuerſae indolis exiſtat. Poſtmodum prolixe ſatis fata partis primae (partem tertiam eamque vltimam iam in manibus amicorum eſſe aſſeuerat, ab iis forte perpoliendam lucique publicae tradendam; an igitur forſan huc ſpectant commentationes eae, quas Cl. CHAVET collectioni ſcriptorum minorum germanicorum iam inſeruit, a nobis nuperrime indicatae?) recenſet **), et

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XXXII. P. II. p. 291.

**) *Allgem. deutſche Bib. B. XVI. St. II. S.* 422. C. L. HOFMANN'S *Anhang zum erſten Theile von den Pocken, worinnen die angegebene Urſache von der Aſſimilation der anſteckenden Fiebermaterie ferner erwieſen und die Exiſtenz der Pockendrüſen auſſer Zweifel geſetzt wird. Nebſt einem Kupfer. Münſter*, 1776. *gr.* 8. Huius recenſio in *Allg. d. Bibl. B. XXXIII. St. I. S.* 138. C. L. HOFFMANNS *Nachtrag zum erſten Theile von den Pocken*

et inprimis multus eſt aduerſus Cl. VNZERVM eius-
que pathologiam morborum contagioſorum *) hu-
iusque recenſionem **); enarrata explicatione con-
tagii per inſecta et Vnzeriana per diuiſibilitatem in
infinitum, ex ingenii luſu aliam proponit, eamque
ſatis lepidam, per ſemina minutiſſima, vegetationem
quadam euoluenda; ac denique, quae ab iis poſſu-
let, qui doctrinam ipſius examinare vlteriusque per-
ficere conſtituant, docet, et Cl. MOLITOR ob pro-
ſtitum in hac parte edenda auxilium grates perſolu-

Sectio I. Semiotica morbi varioloſi. Praemiſſa di-
viſione generali variolarum diuerſa earum ſtadia con-
ſiderantur, quorum ſex aſſumit Ill. Auctor, nempe
contagii vel praeparationis, febris eruptionis (quod
ne confuſio oriatur, cum reliquis auctoribus ſtadium
primum vocat), eruptionis ipſius, ſuppurationis, ex-
ſiccationis, et morborum ſubſequentium. Stadium
praeparationis certos limites non agnoſcere, docet
inoculatio: breuius tamen ſex diebus non vidit, ut
e contrario vnico caſu (ex plus quam duobus mil-
bus, vt inferius fatetur, a ſe inoculatis) decimo octa-
vo demum ab inſitione die febrem eruptionis ante-
dere obſeruauit. Singulorum ſtadiorum decurſus
ſollicite deſcriptus, exemplis egregie dicta illuſtra-
tibus

cken — *Caſſel.* 1778. 8. Iam Cl. VNZER in ſcenam
prodibat: *Ueber die Anſteckung beſonders der Pocken.
In einer Beurtheilung der neuen Hofmanniſchen Pocken-
theorie, von D.* IOHANN AVGVST VNZER — *Leipz.*
1778. 8. C. L. HOFFMANN *beantwortet die Einwürfe,
welche Hr. D.* I. A. VNZER *über die Anſteckung beſon-
ders der Pocken in einer Beurtheilung der neuen Hofmann-
niſchen Pockentheorie geliefert hat. Münſter,* 1782.
IOH. AVG. VNZERS *Vertheidigung ſeiner Einwürfe ge-
gen die Pockentheorie des Hrn. Geh. Raths* HOFMANN.
Leipzig. 1783. 8.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 577.

**) *Allg. d. Bibl. B. LXXI. St. II. S.* 410.

tibus vbique additis. Halitus foetens, interdum vnicum ſignum morbum praenuncians, ab vno eodemque cum febre varioloſa fomite pendens. Primum apparens variola ſub ſpecie puncti rubri, morſurae pulicis ſimilis, ſed abſque ſtigmate in medio; in hoc tactus tuberculum durum diſtinguit, futurae puſtulae prodromum, quod ſi abſit, efflorescentia cutanea rurſus diſparet. Felix, at rarus, morbi exitus puſtulis ante ſuppurationem euaneſcentibus, probe diſcernendis a retrocedentibus, nimirum febre, virium proſtratione aliisque ſymptomatibus abſentibus. Cicatrices oriuntur, ſi, cruſta decidente, ſubiacens cutis nondum conſolidata fuerit; eoque profundiores, quo frequentius cruſta formata fuerit: a cruſta prima nullae vnquam enaſcuntur. Singulis ſtadiis morbum vel ſanitate vel (excepto ſtadio praeparationis) morte terminari poſſe, exemplis adductis probatur: prius ſi in ſtadio praeparationis contigerit, inoculatione etiam poſtea incaſſum tentata, fieri potuit, vt eiusmodi ſubiectum a variolis per totam vitam immune creditum ſit. Conuulſiones eruptionem antecedentes, variolis naturalibus frequentiores quam artificialibus, non plane negligendae, ſiquidem nonnunquam morte terminantur, nonnunquam graves morbos relinquunt. Variolas ſanguineas in propria praxi nunquam obſeruauit Ill. Auctor. Grauida vndecimo a morbi initio die angina mortua, fetus ſeptimeſtris viuus exfectus eſt, ſed breui poſt mortuus. In duobus infantibus inſitis nonniſi initium febris eruptionis totum morbum abſoluit, ſolummodo puſtula inſitionis periodos conſuetas percurrente: alius tamen inſitionem repudians, ab iiſdem infectus variolas naturales ſubiit, quarum pure prius dicti rurſus inoculati ſunt, ſed effectu nullo. Inſitionem Ill. Auctor punctura peragit ope lanceolae, quam acu commodiorem inuenit; ſi pus vtrique in-

ſtrumento rubiginem contraxit, illud ineffica
De inoculatione per fila et ſiccatas puſtulas in prima
parte iam diſſeruit. Aliam methodum inoculationis
per fila ſibi in mentem veniſſe, his ope acus inter
cuticulam et cutim traiectis (eodem modo, quo ac-
terae quaedam gentes vti ſolent*)). Inoculatio per
veſicatorium vlceribus generandis fauet; pus gof-
pio exceptum vel cuti affrictum non adeo certe in-
ficit; certius, ſi emplaſtro vel veſica obtegitur, ſed
tunc facilis inflammatio. Inciſio maior vlcera foeda
producit. Locus in humero opportunior quam in-
ter pollicem et indicem; in vltimo loco bis inflam-
mationem et cariem oſſium enatam vidit. Minus
etiam opportuna inſitio in pedibus, accedente etiam
glandularum inguinalium inflammatione. Medicus
quidam fama illuſtris infanti proprio turundam pus
impraegnatam naribus immiſit: naſus et facies in-
flammabantur, ſubſequente ſub febre eruptione
morte. Ad materiam inſitioni aptam obtinendam
ſufficit puſtulas parua inciſione aperire, lymphamque
pellucidam, non pus ipſum, excipere; haec ex vi-
culis altero poſt eruptionem die obtineri potest;
item ex humiditate loci inſitionis inde a fine ſtadii
praeparationis per quatuor ſubſequentia ſtadia. Pu-
ſtulae inſitionis, regionis inſitionis, puſtularumque
localium ſiue earum, quae in regione inſitionis pro-
pullulant, mutationes et decurſus. Inoculatio pluri-
ribus in locis ſuſcepta nullum in morbum influxum
habet. Puſtula inſitionis abſque periculo plerumque
nigreſcit et in vlcuſculum fonticulo ſimile tranſit,
nonniſi exſiccatis reliqui corporis variolis ſanatio-
nem admiſſurum. Pus corruptum ad inoculatio-
nem adhibitum mala localia, inflammationes, vlcera
foetida cet. producit, morbo tamen varioloſo ipſo
non peiore reddito: ſin autem miaſma ex eiuſmodi
pus

*) vid. Comm. noſtr. Vol. IV. p. 142 et Vol. VI. p. 322.

pure iam exhalauerit, eadem quidem damna, imo gangraena morsque ipsa, producuntur, neutiquam autem variolae. Praesagia ex consideratione regionis insitionis ratione morbi futuri. De variolis spuriis: secundum ea, quae Ill. Auctori ipsi in praxi obvenerunt, tres earum species constituit, aquosas seu lymphaticas, duras seu acuminatas (*Steinpocken*), et innominatas. Variolae aquosae distinguuntur a veris absentia vel breuiore duratione (non vltra triginta sex horas) febris eruptionis, halitusque foetidi; celeritate eruptionis et exsiccationis variolarum; absentia veri puris, licet nonnunquam vna vel altera illud offerat adeoque cicatrices relinquat. Durae veris multo similiores sunt: differunt tamen absentia halitus foetidi, humiditate tertio die post eruptionem exsudante, duritie sub maturatione subsistente, quae ipsi diſruptioni per compressionem tentatae resistit, et pruritu sub exsiccatione, ita vt infantes eas plerumque decerpant, sanguine inde profluente, sed nulla cicatrice relicta, quod tamen in cute minus sana fieri quoque posse non negatur. Tertiam speciem variolarum spuriarum peculiari nomine designare nequit Ill. Auctor, ideoque eas innominatas dicit: febris in iis modica; halitus foetor nullus; die secundo vel ad summum tertio exanthemata veris simillima, sed celerioris incrementi, et iam tertio ab eruptione die suppurantia, succedentibus interim inter priora aliis pariter inflammatis, ast non in suppurationem abeuntibus, sed vna cum prioribus siccatis; quae suppurant, non circulo rubro, sed macula rubra figurae irregularis ambitusque largi cinguntur; figura minor est quam verarum, basis rubra, pus tantum in apice; foetor non specificus, qualis in veris; suppurationis stadium trium circiter dierum; siccatio celerior quam in veris, quadraginta octo circiter horis absoluta. Omnes has species interdum

pro veris habitas fuiſſe, indeque opinionem variolarum recurrentium magis inualuiſſe. De diagnoſi variolarum verarum ex ſignis eſſentialibus et accidentalibus. Sub febre eruptionis ſolus halitus foetens; altero eruptionis die veſicula in medio pustularum erumpentium, characteriſticum TISSOTO ſignum, et poſtea foueola in puſtula conſpicua (quod tamen ſignum vniuerſale non eſt); in ſuppurationis ſtadio, praeter ſigna anamneſtica, abſentia madoris in variolis duris deprehendendi. Signa accidentalia: infectio per variolas veras; febris, febri eruptionis ſimilis; praegreſſum cum varioloſis commercium, aut commoratio in loco infecto. Ad eruendam certitudinem, veraene fuerint variolae nec ne, ſola inoculatio. Nullum exiſtere exemplum variolarum verarum altera vice reuerſarum, ſiue primae naturales fuerint, ſiue artificiales, et medicos magni adeo nominis, vti b. DE HAEN, in ferendo de iis iudicio deceptos fuiſſe.

Sectio II. Pathologia morbi varioloſi. Multa hic ex parte prima eiusque appendice repetuntur atque vlterius illuſtrantur ad refutandas Cl. VNZERI obiectiones.

1. *De glandulis varioloſis.* Si variolae ſuppuratae cuticula demitur, in conſpectum prodit particula cutis ſeu globulus ſuper reliquam cutim eminens; inter hoc corpus et cuticulam haeret pus, facta etiam in cuticulam iterata inciſione rurſus colligendum, quod autem amplius non fit, corpore hoc deſtructo v. c. per traiectum filum. Ergo corpus hoc eſt glandula, pus ſeparans; in principio, quum efflorescit, inflammata, ſub maturatione vero ſuppurata. His reſpondent obſeruationes Cl. COTTVNNII *), quae ideo

*) De ſedibus variolarum ſyntagma, Vienn. 1771. indicatum in Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 411.

ideo Ill. Auctor appendici partis primae vna cum tabula aeri inciſa inſeruit. Inſitio docet, glandulis his maxima in copia ſibi proxime adiacentibus totam externam corporis ſuperficiem obſitam eſſe: vlterius tamen non extenduntur, quam ad anteriora narium internarum et interiora oris. In partibus interioribus, quicquid dixerint alii, nunquam inuentae ſunt. (In tranſitu etiam monetur, illum morbum exanthematicum, quem in ouibus et leporibus variolas dicere ſolent, in partibus internis non exiſtere, ſed in leporibus tantum hydatides inueniri.) Exemplum, vbi glandulae meſenterii ſuppuratae, aliudque, vbi aphthae pro variolis habitae ſunt. Dubium quoque eſt exemplum a COTTVNNIO allegatum variolarum in bronchiis repertarum, quum anatomicae earumdem diſquiſitionis mentionem non fecerit, neque vnquam in aliis locis internis eaſdem conſpexerit. Veſicula in medio puſtulae erumpentis ſe oſtendens eſt ductus excretorius glandulae, orificio ſuo occluſus vel coalitus, qui quamdiu cum cuticula cohaeret, foueolam ſeu vmbilicum efformat, ab eadem vero ſeparatus eleuationem variolae et effuſionem puris inter cuticulam et glandulam efficit: inde etiam repletio variolae pure per inciſionem emiſſo patet. In ſtatu ſano ductus hic excretorius perſpirationem cutaneam iuuat.

2. *De pure varioloſo.* Omnes corporis humores ſibi ipſis relicti odorem ſibi proprium maiori gradu acquirunt, acidum alii, alii putridum: poſteriorum alii, ſub debitis conditionibus in alios ad putredinem diſpoſitos agentes, horum corruptionem adiuuant, alii non; priores vere putridos, poſteriores ſpurie putridos vocat Ill. Auctor. Prioribus pus varioloſum accenſetur, quod non modo foetor cadaueroſus variolis demortuorum, ſed etiam experimenta probant, quibus ſanguis et caro puris varioloſi ope prius pu-

tredinem contraxerunt, quam ſponte euenturam fuiſſet. Quum ergo ſuis quodque humorum genus organis ſecernatur: pus eſt humor glandularum varioloſarum putridus redditus. Pulmones eum ſuſcipiunt, vtpote organon depurationi ſanguinis quam maxime dicatum. Non ergo generatur in ſanguine: neque reliqua organa excretoria cutis idem ſuſcipiunt.

3. *De contagio.* Ad corrumpendum humorem in glandula varioloſa retardatio eius, pari modo vt vrinae in veſica vrinaria *), requiritur: retardatio haec obſtructis et coalitis ductibus excretoriis glandularum efficitur, quae mutatio ab irritatione per acrimoniam proficiſcitur, conſtricto prius, et, niſi breui reſeretur, obliterato ſphincktere. In corporibus demortuis putredo ſola pus varioloſum gignere nequit: ſi enim variolae iam ante adfuerunt, deſtructae ſunt glandulae varioloſae; ſin minus, ductus excretorii earum obliterari non poſſunt. Vero ſimile eſt, ſi humor glandularum varioloſarum eodem modo, quo alii humores in corpore ſecreti, obtineri poſſet, eum in vitro occluſo aeque corrumpi et contagioſum reddi poſſe, ac ſanguinem in PRINGLII experimento **). Quouſque gradus putredinis et contagii in loco clauſo augeri, et quamdiu hoc efficacitatem ſuam ſeruare poſſit, docet notum illud exemplum contagii in Anglia aperto loculo hominis, qui ante triginta annos variolis occubuerat, per plures vicos ſparſi. Obſtructo licet ductu excretorio glandulae, ſecretio tamen in ea non niſi vaſe ſecretorio coalito tollitur, neque reſorptio per venas: hinc regreſſus puris in ſanguinem, febris eruptionis, exhalatio illius per pulmones.

4. De

*) BOERHAAVE El. Chem. T. II. Proc. 92.

**) vid. Comm. noſtr. Vol. II. p. 402.

4. *De puris geniti effectibus in corporibus varioloſorum.* Conſideratio mutationum protinus ab inſitione ad infectionis naturalis phaenomena declaranda viam pandit. Repetuntur ea, quae Ill. Auctor alibi, vt nuper vidimus, de inflammatione ſtabiliuit, et ad ortum variolae inſitionis, aut, quum ſub operatione glandula varioloſa vel diſciſſa vel pure acriore arroſa fuerit, vlceris inde nati applicantur. Rubor in regione inſitionis a miaſmate ex loco inſitionis in viciniam ſeſe expandente, glandulas varioloſas irritante, inflammationisque gradum aliquem excitante; diſparens, ſi minor ſit irritatio. Variolarum localium origo ex iiſdem cauſſis. Dolor in glandulis ſubaxillaribus, vel inſitione in pede facta, inguinalibus, a corrupto glandularum varioloſarum humore vaſis lymphaticis excepto: cur vero idem ſaepe rurſus euaneſcat, humore tamen ſucceſſu temporis maiorem acrimoniam adepto, Ill. Auctor lectoribus indagandum relinquit. Halitus foetens a reſorpto ex glandulis varioloſis humore acri, in pulmonibus iterum ex ſanguine ſecreto et in vapores mutato, tunc demum contagioſo, quum humor in glandulis ipſis ad eum gradum corruptionis euectus eſt, qui contagium communicare valeat. Sub eadem conditione etiam contagium per cutim exiſtit. Vtrumque nonniſi vno demum vel altero die ante febrim eruptionis euenit. Inde patet, inſitionem pluribus in locis factam eruptionem non accelerare. Tranſitus ex iam dictis ad variolas naturales. Incredibile eſt, quam parum contagii ſufficiat ad corpus inficiendum, quod hic exemplo hominis probatur, qui illud in conclaui ſuſcepit, in quo aegra decubuerat, ante plus quam quatuor hebdomades repurgato depuratoque. Contagii per inhalationem et miaſmatis ſaliuae admixtionem poſſibilitas non negatur, licet hi modi non ſemper neceſſarii ſint. Contagii etiam tantam quantita-

tem ab vna glandula ſuſcipi poſſe, quanta ſufficiat ad inflammationem protinus, vt in inſitione excitandam, probant variolae ſic dictae matres (*Mutterpocken*), ſolito maiores, ante febrem eruptionis apparentes. An primo contagio vna vel plures glandulae afficiantur, dubium: plerumque prius fieri, probabilius. Infectio continuata glandularum plurium eodem modo, vti poſt inſitionem. Corruptio poſt infectionem vniuerſalem celerior, quam ante eam. Febris eruptionis ortus ab aucta quantitate et acrimonia humoris glandularum varioloſarum affecti in ſanguinem regurgitantis. Si vaſa ſecretoria ductusque excretorii glandularum prius coaleſcant, quam humor in iis ſtagnans acrior reddi inflammationemque producere poſſit, variola non enaſcitur: quae etiam priori in caſu nulla ſecretio amplius fit, neceſſario inde refluxus in ſanguinem ideoque febris eruptionis ceſſat. Quintuplici igitur modo glandulae varioloſae mutationem ſubire poſſunt: vel omnes ſingulae coaleſcunt, nulla inflammata (febris varioloſa abſque variolis); vel pleraeque coaleſcunt, una tantum et altera inflammata; vel pauciores coaleſcunt, plures inflammantur; vel numerus inflammatarum numerum coaleſcentium multo magis ſuperat (variolae concretae et confluentes); vel denique omnes inflammantur, nullis coaleſcentibus: vltimum caſum nunquam vidit Ill. Auctor, eumque rariſſimum, et, ſi vnquam exiſtat, febre eruptionis mox ab initio nimis aucta breui exitialem futurum putat. Exitus inflammationis idem ac aliorum inflammationis generum: inde diſtinctio inter variolas euanescentes, ſuppurantes, ſphaceloſas, verrucoſas. Euanescunt variolae, ſi durante adhuc inflammatione ductus excretorii glandularum coaleſcunt, quod haud pius accideret, niſi aucta perpetuo acrimonia hoc impediret: coalitionem vero partium ſub ipſa inflamma-

flammatione fieri poſſe, docet concretio pulmonis cum pleura durante pleuritide. Pus eiuſdem originis eſt, ac pus aliarum partium inflammatarum (repetuntur ea, quae in commentario de inflammatione tradita ſunt). Variolas nonnullas ante perfectam puris maturationem ſiccеſcere, ex coalitu vaſorum ſecernentium ductuumque excretoriorum, ſublato inde affluxu humorum ad glandulam inflammatam, patet. Tardius hoc contingit, quum perfectam maturitatem adipiſcuntur variolae: tuncque marceſcunt, ſiccantur, et in cruſtis decidunt, ſub quibus ſi cutis nondum conualuit, glandulae varioloſae plus minus arroduntur ac in grauiore caſu tandem cum notabili cutis particula conſumuntur. Variolarum ſphaceloſarum et verrucoſarum ſiue ſcirrhoſarum conſiderationem parti practicae reſeruat Ill. Auctor, id tantum monens, poſteriores ſemper lethales eſſe, niſi demum in ſuppurationem, foediſſimas cicatrices relicturam, abeant. Demonſtratio impoſſibilitatis variolarum redeuntium ex coalitu ſeu deſtructione glandularum varioloſarum: eas de nouo gigni poſſe, oeconomiae corporis noſtri contrarium. Obiectio variolarum ab immediato contactu ſecunda vice excitatarum id tantum probat, glandulam coalitam a pure acri applicato inflammari poſſe: ſed in ea ipſa contagium non amplius praeparari reſorptionique febrem excitaturae, velut in morbo varioloſo, aptum reddi poteſt. Magnitudo morbi varioloſi a maiore gradu et longiore duratione febris eruptionis pendet, et haec a minore copia glandularum coaleſcentium temporisque ſpatio longiore, quo haec perficitur: et ſic etiam vice verſa. Quicquid ergo coalitionem hanc iuuare poterit, febrem eruptionis ipſumque morbum mitiorem reddet. Febris haec, variolis copioſius enatis, vel tantum miteſcit, vel perdurat: ſuppuratoria a maiore copia puris ſuppura-

tione acrioris facti ad ſanguinem regrediente oritur. Symptomata eius, v. c. angina, parti practicae reſervantur. Iam ad eruendam cauſſam, cur in vno ſubiecto citius, in alio tardius contingat iſta coalitio? prius conſiderationem acrimoniae humorum praemittit Ill. Auctor, eamque ponit in aucta vi, ſolo contactu adeo agendi in ſolida, in quibus ſtatu ſano continentur, vt inde morbus partis, in quam agunt, ſequatur; augmentum iſtud ab acquiſita maiori propenſione in corruptionem phyſicam, ergo a ſolutione, non ab indole mechanica, vti BOERHAAVIVS aliique ſtatuerunt, proficiſcitur. Inde patet, vti omnes corporis humores, ſic praecipue humorem glandularum varioloſarum, quo magis a naturali blanda indole recedat, eo magis illarum coalitioni fauere, et vice verſa. Vt igitur morbus, quantum fieri poſſit, mitior reddatur, ad duo reſpiciendum eſt medico: nimirum vt corruptionem humoris glandularum varioloſarum rite imminuat, et ipſum corruptum, quantum fieri poſſit, remoueat. Vtrumque autem quibus auxiliis praeſtandum ſit, pars practica docebit.

X.

Inſtruzione intorno alla malattia convulſiva denominata Tetanos. In Verona. MDCCLXXXIX. Per gli eredi di Marco Moroni. 8. mai. pagg. 91. praef. pagg. 6.

i. e.

Inſtructio ſuper morbo conuulſiuo, qui Tetanus dicitur.

Eadem inſtructio, quae ante aliquot annos gallico idiomate prodiit, hic Cl. CARRERE adſcripta, et quum hic morbus ſubinde etiam in Italia, praecipue in regionibus montoſis, obſeruetur, in italicam linguam

guam verſa. Cuius quum verſionem germanicam (praeter quam etiam hiſpanicam exiſtere, hic edocemur) olim indicauerimus *), nihil hic addendum arbitramur.

XI.

Fragmenta ſemiologiae obſtetriciae, quae conſenſu gratioſi medicorum ordinis pro gradu doctoris medicinae die XXVI. Ianuar. MDCCXC publice defendet auctor FRIDERICVS GVILIELMVS VOIGTEL, Magdeburgenſis. Accedunt tabulae ſex aeneae. Halae. typis Franckianis. 4. pagg. 80. abſque dedicatione et claſſium conſpectu.

Libellum multifaria eruditione refertum Cl. Auctor, dignus Cl. MECKELII diſcipulus, in quatuor ſectiones diuiſit. Prima ſemiologiae medicae et obſtetriciae notionem, huiusque ambitum, difficultatem, inſtituendae methodum, et dignitatem ſiſtit. Ad ſemiologiam obſtetriciam phyſiologicam pertinent 1. Semiologia genitalium mollium et mammarum adultae in ſtatu pubertatis, virginitatis integerrimae, coitus perpeſſi, poſt abortum aut partum praegreſſum; 2. ſigna peluis bene conformatae femineae; 3. ſigna conceptionis; 4. ſigna grauiditatis verae, vterinae, eiusque periodorum; 5. ſigna fetus viui ante et ſub partum; 6. dolorum ſigna diſtinctiua; 7. ſigna partus naturalis, perfecti; appropinquantis et inſtantis, eiusque temporum; 8. ſigna fetus perfecti, maturi, ſani; 9. ſigna bonae nutricis; 10. ſigna ſtatus naturalis puerperae. Semiologia obſtetricia pathologica ſiſtit 1. ſemiologiam partium genitalium mollium morboſarum extra grauiditatem, grauiditatis tempore, ſub partum et poſt eum; 2. pel-

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXX. p. 635.

2. peluis vitiatae ſigna, ſeu totius, ſeu quarumdam eius partium; 3. ſigna ſterilitatis; 4. grauiditatis ſpuriae ſigna; 5. grauiditatis verae, at extrauterinae, ſigna diagnoſtica; 6. ſigna fetus mortui grauiditatis tempore, ſub ipſum partum, poſt eum; 7. ſigna abortus inſtantis; 8. ſigna partus praematuri; 9. ſigna partus ſerotini; 10. ſigna dolorum ſpuriorum; 11. ſigna generaliora partus non naturalis, anomali; 12. ſpecialiora praecipuarum illius cauſſarum: vel in matre a morbo locali aut vniuerſali, vel a partibus inter fetum et matrem vitiatis, vel ab incauta et inperita manu, vel a fetu male conformato, numero excedente, peruerſe ſito; 13. ſigna puerperii morboſi; 14. ſigna morborum neonatorum. Vſitatiſſimum medium ſigna diagnoſtica ſenſibus aſſequendi eſt exploratio cum externa ſeu abdominalis, tum interna ſeu vterina, quam nunc vlterius pertractat Cl. Auctor, quem in finem, qua ratione, et ſub quibus ſitus feminarum modis fiat, oſtendens. Inter explorationem dolores ad partum excitari poſſe modo ſimpliciſſimo, preſſione in ligamenta ſacro-iſchiadica, ex Cl. MECKELII verſione BAUDELOCQUII.

p. 24. Sectio ſecunda partus non naturalis diuiſionem ſecundum eius cauſſas, deque diagnoſi ſitus praeternaturalis fetus quaedam in genere exponit. Cauſſae ſunt 1. in matre: vitia organica et morbi locales genitalium, peluis, labiorum vuluae, vaginae, orificii vterini, ipſius vteri; vel morbi diſpoſitionesque vniverſales, aut partium magis vel minus in partus actu adiuuantium; 2. in partibus, quae nexum faciunt inter matrem et fetum: funiculi vmbilicalis vitia, placentae ſitus praeternaturalis, membranae a ſtatu naturali aberrantes, aquarum quantitas peccans nimisque praecox efluxus; 3. in obſtetricum vitiis omiſſionis vel commiſſionis; 4. in fetu: ex mala eius partiumque ipſius proportione et conformatione, ſiue ſint aberra-

aberrationes totius a ſtatu naturali, ſiue ſingularum partium difformitates; ob numerum inſolitum; ob ſitum peruerſum extra vterum, vel in hoc ipſo. Vltimum momentum ſpeciminis loco vberius exponendum ſibi ſumſit Cl. Auctor, praemonitis quibuſdam de acquirenda ope explorationis cognitione partium praeuiarum ferendoque inde iudicio de ſitu partium latentium.

Tertia igitur ſectio de diagnoſi partuum praeter- p. 35.
naturalium ſecundum eorum claſſes, ordines, genera et ſpecies agit, praemiſſis ſignis generalioribus partus praeternaturalis. Diuiſionem, quam tabulae adiunctae mirifice illuſtrant, hanc conſtituit Cl. Auctor, a nobis nunc, omiſſis ſpeciebus, repetendam.

Claſſis I. Situs praeternaturales *ſimplices*, in quibus eiuſdem generis partes fetus ad orificium vteri conuerſae.

Ordo I. Capitis ſitus praeternaturales.
Genus I. Situs faciales.
II. Situs occipitales.
III. Capitis latus dextrum praeuium.
IV. Capitis latus ſiniſtrum.
V. Situs verticales.

Ordo II. Collum ad os vteri conuerſum.
Genus I. Facies colli anterior.
II. Nucha et ceruix.
III. Colli latus dextrum.
IV. Colli latus ſiniſtrum.

Ordo III. Trunci pars ſuperior praeuia.
Genus I. Pectus.
II. Dorſum.
III. Humerus dexter.
IV. Humerus ſiniſter.

Ordo IV. Trunci pars media ad vteri oſtium conuerſa.
Genus I. Abdomen delapſum.

Genus

Genus II. Regio lumbaris praeuia.
III. Regio iliaca dextra.
IV. Regio iliaca ſiniſtra.

Ordo V. Situs praeternaturalis ob trunci partem inferiorem praeuiam.

Genus I. Regio pubis et facies anterior femorum obiacentes.
II. Nates ad os vteri conuerſae.
III. Regio iſchiadica dextra praeuia, ſeu partus natium imperfecti genus primum.
IV. Regio iſchiadica ſiniſtra praeuia, ſeu partus natium imperfecti genus alterum.

Ordo VI. Partus extremitatum inferiorum perfecti et imperfecti.

Genus I. Vtrumque genu praeuium.
II. Vtrumque crus facie poſteriori, ſeu poplites et calces ad orificium vteri conuerſi.
III. Partus agripparum perfecti.
IV. Genu alterutrum delapſum.
V. Facies poſterior cruris alterius, vel regione poplitea, vel fura, vel calce ad os vteri conuerſis.
VI. Partus agripparum imperfecti.

Ordo VII. Extremitatum ſuperiorum vel vtraque vel ſingulae delapſae.

Genus I. Vtraque protuberantia cubiti a pectore delapſa.
II. Protuberantiae cubiti a dorſo prominentes.
III. Vtraque manus a pectore prolapſa.
IV. Vtraque manus a dorſo prolapſa.
V. Alteruter cubitus e latere propendens.
VI. Alterutra manus e latere propendens.

Ordo

Ordo VIII. Extremitates decuſſatim propendentes.
Genus I. Genua decuſſatim ad os vteri conuerſa.
II. Pedes decuſſatim propendentes.
III. Manus ſuper pectus decuſſatae praeviae.
IV. Manus e dorſo decuſſatim prolapſae.

Subiunguntur huic claſſi velamenta, funiculus vmbilicalis et placenta praeuia.

Claſſis II. Situs praeternaturales *compoſiti* et *mixti*, in quibus vel vnius fetus partes diuerſi generis, vel plurium variae partes ſimul praeuiae.

A. Vnius fetus.

Ordo I. Capitis pars quaedam, cum funiculo, vna vel altera extremitate ſuperiori aut inferiori, vtraque alterutrarum, funiculo et alterutra extremitate ſuperiori aut inferiori, vna extremitate ſuperiori et inferiori, ternis, quaternis, aut omnibus quinque partibus.

– II. Trunci pars praeuia, ſimili modo.

– III. Genua et pedes vel ſingulatim vel coniunctim, aut vnum genu, aut vtrumque, aut pes alter vel vterque, diuerſa itidem coniunctione.

B. Plurium fetuum.

– IV. Caput vnius vario modo parte praeuium, cum alius fetus hac vel illa aut pluribus partibus.

– V. Trunci pars quaedam fetus alterius, pari ratione.

– VI. Alterius extremitates et funiculus vel ſingulatim vel coniunctim cum alterius hac vel illa pluribusue partibus.

Signa diagnoſtica in prima claſſe ſollicite vbique expoſuit, in ſecunda claſſe ex prioribus ſponte patentia.

Sectio

P. 54. Sectio quarta de nonnullis impedimentis et difficultatibus diagnoſis in arte obſtetricia agit, a parte matris ſunt vitia peluis, labiorum, vaginae, vteri eiusque orificii: a parte adnexarum fetui partium, membranarum craſſities, liquoris amnii abundantia, placentae in loco inſolito adhaeſio: a parte fetus, praeter aberrationem a ſtructura naturali, facilitas ſitum mutandi, quae in fetu mortuo ob maiorem mollitiem flaccidiatemque maior eſſet ſolet; cuius rei exemplum ſatis inſigne ſub auſpiciis Cl. MECKELII obſervatum hic adducitur; contorſiones alineaque deſtructiones artuum prolapſorum, tumores varii ſub diuturno partu enati, oſſa cranii ſibi impoſita, partes plurium fetuum ſimul prolapſae, e. ſ. p. Aberrat a ſtructura naturali fetus vel exceſſu, vel defectu, vel ſitu partium peruerſo ac mutato, vel fabrica alienа: ſingulorum exempla in capite, trunco et extremitatibus adducuntur. Fetus coaliti vel integri gemelli vel integer cum parte alterius, vel ex pluribus compoſiti, quorum tamen exempla dubia pronunciantur. Sub finem quaedam de fetibus in vtero iiſdem, quibus matres, morbis affectis, vbi memoratur fetus a muſeo Cl. MECKELII ſeruatus, legitimo fere tempore excluſus, ſed mox poſt partum mortuus, variolis a matre communicatis in vtero affectus, et facie tumida truncoque partim recentes variolarum cicatrices, partim inſidentes adhuc eſcharas paſſim offerens.

P. 73. Accedimus ad figurarum explanationem, quae aberrationes quaſdam a ſtatu naturali fetuum ſiſtunt, partim ab Ill. viris SELLE et MECKELIO, partim ab Auctoris Cl. patruo, medico Islebienſi, communicatas. Tab. I. Compages oſſium hydrocephali interni ex infante recens nato. Os bregmatis ſiniſtrum in duo triangula diuiſum, magna interſtitia membranosa inter has diuiſuras osque frontis ac bregmatis ſiniſtrum

ſtrum, multoque inſigniora in parte poſteriori in ſutura ſagittali et lambdoidea, ita vt fontanellae minoris et lateralis omnis ſpecies euanuerit; in his membranis multa oſſicula diuerſae magnitudinis et cohaeſionis.

Tab. II. Fig. I. Cranium fetus perfecti, fontanella magna oſſe Wormiano perfecte occluſa. Fig. II. Fetus ſexus (vti duo ſequentes) ſequioris, octo circiter menſium, cranio, cerebro et cerebello deſtitutus, cum ſpina bifida ad tertiam dorſi vetebram decurrente, ceterum bene formatus, matre ſana; liquor amnii in hoc et ſequentibus naturalis. Margo cutaneus in vtroque latere a nucha (collo fere nullo) incipiens et ſupra verticem vſque protenſus, pilis hirſutus; aures a capite multum diſtantes eiusque anteriora occupantes; bulbus oculi dextri ex orbita quaſi protruſus, aeque ac ſiniſtri ſuperciliis carens; baſis cranii, variis protuberantiis conſpicua, obtecta tenui, molli, fuſca et pulpoſa membrana, marginis cutanei productione, quae ſuper vertebrarum colli corpora nuda vſque ad tertiae dorſi interſtitium continuatur, in qua etiam initium canalis medullae ſpinalis conſpicitur.

Tab. III. Fig. I. Fetus alius octimeſtris, qui aeque ac antecedens vitae aliqua ſigna edidit. Cranii pars ſuperior membranacea et oſſea, cerebrum, cerebellum, medullae ſpinalis pars ſuperior, prorſus abſunt. Spinae bifidae ad vertebras lumborum vſque progreſſus. Collum breuiſſimum, aures humeris innixae. Membrana pulpoſa, marginis cutanei continuatio, tumorem fungoſum omnem cranii baſin obducentem conſtituit; in hac vtrinque foramen ad duas lineas penetrans ad protuberantiam lateralem, quae pars petroſa oſſis temporum eſſe videtur. Filamenta ex membrana, baſin cranii obducente, producta inter ſpinae bifidae partes laterales in dorſo decurre-

runt. Fig. II. Fetus ſeptimeſtris, anterioris cranii partis maiore quam in ſuperioribus fetubus ſuperſtite, ſed cerebro, cerebello, theca cranii magnaque integumentorum communium parte deſtitutus, ſpina bifida vſque ad orificium ani decurrente; tumor pulpoſus omne reliquum baſeos cranii obtegens; proceſſuum ſpinoſorum vertebrarum radices nullae; neque inter illas filamenta, vti in priori fetu.

Tab. IV. Cranium oſſium acephali ſpurii naturi cum palato et proceſſu alueolari maxillae ſuperioris fiſſis, oſſibus naſi deficientibus, hincque proceſſibus naſalibus maxillae ſuperioris diſtantibus; parte orbitaria oſſis frontis in duas portiones laterales diuiſa.

Tab. V. Fetus octo menſium et quod excurrit, cum vitae ſignis quibuſdam in lucem editus, ſine genitalium et ani vllo veſtigio, pectore valde deformi, depreſſo, praeter thymum et extremitatem ſuperiorem pulmonis ſiniſtri nihil continente; ſacco hernioſo inſignis magnitudinis, pedimento ab integumentis communibus formato in dextro latere cruris laginis enſiformis adhaerente, pleraque abdominis et thoracis viſcera continente, ita vt verſus medium margo acutus hepatis, inferius gyri inteſtinorum pellucerent; funiculi vmbilicalis parte pone eundem conſpicua; poſterius ſacco cutaneo pone femur ſiniſtrum dependente, lympha repleto, quo aperta ſpina bifida, foramine ouali definita, conſpiciebatur.

Tab. VI. Fetus ſeptem, vt videtur, menſium capite, collo, brachiis, pectore, corde, pulmonibus imo omnibus pectoris et abdominis contentis, praeter renem ſiniſtrum cum glandula ſuprarenali et particulam inteſtinorum, deſtitutus: loco manus dextrae maſſa mollis carnoſo-adipoſa, plicis et protuberantiis inaequalis, binis appendiculis, digitis haud absimilibus, quarum altera vngue inſtructa erat, altera eo carebat; plica in coniunctione huius maſſae cum

alia maſſa molli deformi, oſſibus prorſus deſtituta, brachium et antibrachium referente (in icone hae duae maſſae ſimilitudinem brachii chirotheca veſtiti habent); tumor adipoſo-carnoſus, mammae ad inſtar hypochondrium dextrum occupans, huicque ſimilis, at maior, in latere ſiniſtro cum proceſſu cutaneo papilliformis. Inciſis his prodiit cauitas ſuperius coſtis abſque ſterno, inferius muſculis abdominalibus imperfectis definita: in latere ſiniſtro ren cum glandula ſuprarenali, in dextra maſſa fungoſo-carnea, in medio ſaccus membranaceus, inteſtinorum partem ad orificium ani vſque progredientem et funiculum vmbilicalem continens, cum apertura ad eiuſdem inſertionem. Infimi ventris ſedes vacua. Oſſa femoris et peluis adſunt: femur dextrum ſiniſtro craſſius; genu ſiniſtrum cum magno tumore, plica profunda cutanea diſtinctum (cui plures ſimiles in ſuperficie externa corporis exſtant); patella nulla; crus ſiniſtrum dextro longius, inque eius anteriori ac inferiori parte proceſſus cutaneus; pes ſiniſter deformis cum duobus appendicibus digitorum ad inſtar; tarſi et metatarſi oſſa nonnulla, digitorum nulla; vngues in vtroque appendice. Femur dextrum cum ſimili, vt ſiniſtrum, tumore; crus ſitu plane horizontali, aeque ac ſiniſtrum oſſibus inſtructum; dextri pedis planta ſiniſtra multo perfectior, cum digitorum (vt ex icone apparet) veſtigiis. Proceſſus cutaneus, ſeſquipollicem longus, prope orificium ani; hoc ipſum cum vulua et praeputio clitoridis conſpicuum.

XII.

PETRI CAMPER diſſertatio de ſtructura patellae et olecrani, figuris illuſtrata. Hagae Comitum, apud Iſaacum van Cleef, MDCCLXXXIX. 4. mai. pagg. 75. tab. aeri inciſae 2.

Vltimum hoc b. Auctoris opus ingraueſcente iam morbo demum ad finem perductum eſt: editor eius, ADRIANVS GILLES CAMPER, defuncti filius, proxime ſe catalogum relictorum operum manuſcriptorum publici iuris facturum pollicetur, quae audite certe a quouis exſpectatum iri perſuaſi ſumus, acriter ſimul dolentes de deſcriptione oſſium morboſorum muſei ipſius, ne inchoata quidem, deſperandum
p. 23. nunc eſſe, licet vel hoc ipſo opere b. Auctor eandem pollicitus ſit.

De patellae fractura iam 1754. diſſertationem academicam Franequerae ediderat b. Auctor, cuius nunc, diſquiſitis iſtius laeſionis ſpeciebus in muſeis aeque ac hominibus viuis, diligentiusque exploratā genu ſtructura, ſupplementa additis iconibus quibus-
p. 7. dam exhibet. Praemiſſa conſideratione anatomica ſubnexisque quibuſdam ex zootomia, et facta virium patellae computatione, docet, non a lapſu in terram diſrumpi vel frangi patellam aut eius tendinem aut ligamentum, ſed lapſum ſequelam eſſe laeſionum
p. 15. iſtarum partium. Tenſoris vaginae femoris tendinem, ſuper condylum externum femoris et criſtam tibiae inſertum, a nullo anatomico memoratum eſſe, licet muſculi ipſius mentionem fecerint. Rumpitur ligamentum vel iuſto maiori extenſione ob nimiam celerem actionem muſculorum genicularium, vel vehementi ictu ſub eadem extenſione. Eodem modo quoque patella ipſa, rarius vtraque ſimul, frequentius alternis vicibus. Fractura longitudinalis rarissima: vnicum exemplum b. Auctori notum illud eſt, quod STALPART VAN DER WIEL reliquit. Exactam tranſuerſam fracturam nunquam vidit, ſed ſemper plus minus obliquam. Diſcrimen eſſentiale diuulſionis patellae per rupturam, et fracturae eiuſdem
p. 24. a percuſſione. Diagnoſis rupturae ex cauſſis praegreſſis, immobilitate cruris poſt lapſum, maximeque

ex hiatu inter fragmenta: difficilior rupturae tendinis muſculi recti et cruralis, ob intumeſcentiam protinus inſequentem (in tranſitu quaedam de fracturis oſſium non conferuentibus). Ligamenti patellae ruptura dignoſcitur ex adſcenſu patellae ad femur: ita etiam huius fractura a vi externa. Diagnoſis patellae in longitudinem fractae. Comminutio in plures partes, ob contuſionem et intumeſcentiam aegerrime cognoſcenda. Prognoſis apud varios auctores varia, partim quod non omnes propriis obſeruationibus vſi ſunt, partim quod non attendunt ad diuerſitatem temporis, quo claudicatio deſinat. Ruptura tendinis recti et cruralis minus periculoſa videtur, tendinibus vaſtorum integritatem ſeruantibus, crurisque actione a tenſore vaginae femoris adiuta. In viuis, quotcumque examinauit, nunquam conſpexit fragmenta coalita, ſed ſemper ad vnum vel duos pollices a ſe inuicem ſeparata, quaquauerſum mobilia, ſatis bono tamen inceſſu: ancyloſin patellae nunquam, licet ſatis frequentem cum femore, nulla praegreſſa patellae fractura. Exemplum rarum perfecte coalitae patellae transuerſim fractae cum paruo fragmento a parte interna, vna cum aliis fracturae exemplis etiam a Cl. SHELDONO iconibus, at iis minus exactis, expreſſum *). Duo alia patellarum, ex parte conferruminatarum, in quarum altera margo et ima ſuperficies carioſa quaſi reddita, probabiliter a luxuriante ſenſim calo. Ligamentoſae vnionis exemplum illuſtre, fragmentis ope membra- p. 27. p. 31.

 naceae

*) Eſſay on te fracture of the Patella; or Knee pan, with obſervations on the fracture of the olecranon. London, 1789. 8. Verſio germanica exſtat *in der neueſten Sammlung der neueſten und auserleſenſten Abhandlungen für Wundärzte. II. Stück. Leipzig.* 1790. 8. *m. K. S.* 1.

naceae concretionis ex tendinibus enatae, vltra duos pollices longae, inter se iunctis; aliudque, illo memorabilius adhuc, fragmentis ad quatuor pollices rhenanos distantibus. Tendineam eiusmodi concretionem sufficere, vt patella etiam fracta officio suo fungatur, fragmento inferiore solo patellae integrae vices gerente. Fractura patellae ab ictu, praecipue instrumentorum bellicorum ope, summe periculosa, eo magis, quo maior comminutio articuli-
que ipsius destructio: an inde, exsudante ex partibus diffractis callo, ancylosis, dubium. Curatio ruptura patellae eiusque tendinum ac ligamenti, per-
tentandam concretionem tendineam genuque quietem eo respectu, vt tumor, dolorque sedetur, tendinumque reliquorum ruptura vlterior et destructio praecaueatur: fractura complicata, a violentia externa producta, amputationem tempestiuam postulat, antequam caries vel meliceris enascantur. Quietem nimium protractam rigiditas articuli insequitur. Specialiora curationis praecepta; fomenta variae indolis. Ex fasciis maxime laudanda ea, quae musculos genitulares modice comprimit. Pes altius collocandus, quam dorsum, non tamen recta linea extendendus, sed angulo facto cum coxae osse, vti pluribus Cl. SHELDONVS docet. Tumore, dolore, inflammatione sedatis, aeger surgat et scipionis aut alterius adminiculo deambulet, donec restituto robore solus incedere queat. Simpliciſſimam hanc curandi rationem non, vti Cl. FLAIANI existimat *), nouam esse, sed iam ante complures annos WARNERO et POTTIO innotuisse. Fractura in tenuibus genu partibus auxiliis generalibus indiget: quiete diuturna, vt directe inter se concrescant fragmenta, et femur cum tibia, situ in linea recta seruato, ne obliqua cruris directio a musculis flexoribus inducta, quum genicularis

p. 48.

p. 53.

p. 60.

*) Vid. Comm. nostr. Vol. XXXI. p. 470.

culares punctum fixum amiſerint, inceſſum difficiliorem reddat.

In conſideranda olecrani fractura prius eius com- p. 63.
parationem anatomicam cum patella inſtituit b. Auctor, poſteaque duos, qui ipſi obuenere, caſus enarrat, in quorum vtroque olecranon cum vlna non immediate, ſed ope membranae coaluit, motu libero relicto: quare eodem, quo in patellae laeſionibus, modo chirurgum agere debere monet, agglutinationem non moliendo, datumque iam a CELSO *) conſilium ſequendo.

XIII.

ANTONII IACOBI VAN DOEVEREN, medicinae Doctoris, obſeruationes pathologico-anatomicae. Cum figuris. Lugduni Batauorum, apud Sam. et Ioh. Luchtmans, MDCCLXXXIX. 4. mai. pagg. 49. ſine praef. tabulae aeri inciſae 3.

Inauguralis eſt diſſertatio digni paterni nominis haeredis, et vtique mutato titulo in publicum prodire digna. Tres continet obſeruationes, quarum binas priores Cel. SANDIFORT Cl. Auctori communicauit, vltimam hic ipſe conſcripſit. Tabulae I. et II. obſervationem primam, III. vltimam egregie illuſtrant.

Obſ. I. Cadauer feminae vſibus anatomicis deſtinatum, de cuius praegreſſo morbo mortisque ratione nihil innotuerat, niſi ipſam ſubito exſpiraſſe, praeter incipientem ouarii dextri hydropem, ſpinae dorſi multiplicem incuruationem vertebrarumque quarumdam ancyloſin, coſtarumque ſitum mutatum, obtulit ventriculum ingenti copia ſanguinis partim fluidi, partim coagulati, qui et in duodenum tranſierat, plenum: vlteriore indagatione fons eius dete-

*) Libr. VIII. Cap. X. §. 4.

ctus eſt, eroſio oeſophagi et aortae, eo in loco, vbi ſibi inuicem adiacent, materia ichoroſa ad pulmonem ſiniſtrum progreſſa, ſub cuius membrana exteriore, ſeparata et tumidula, ſeſe effuderat. Vlcus admodum late per oeſophagum extendebatur, in aorta vltra duos pollices, aperturae marginibus craſſis a deſtructis tunicis exterioribus, interius fluctuantibus duabus lamellis, nonniſi exiguam fiſſuram ab impetu ſanguinis pendentem inter ſe offerentibus, a tunica interna relictis; ceterum aorta et oeſophagus ſana. Mutationem hanc morboſam praegreſſae inflammationi adſcribendam eſſe, admodum veriſimile videtur. Mitioris morbi exitus per ſuppurationem, licet omnino rarioris, duo exempla enarrantur, alterum a Cl. BLEVLAND in ſe ipſo obſeruati. In praeſenti caſu pus exulcerato oeſophago per contextum celluloſum ad aortam tranſiiſſe, docet ſectio, alius viri, in quo praeter deſtructum ferme totum pulmonem dextrum ab abſceſſu ſimili vlcus in oeſophago ad vicinam aortam progreſſum, hac tamen nondum prorſus penetrata, detectum fuit. Similem caſum nullibi conſignatum inuenit Cl. Auctor, quem enim Cl. DE SAUVAGES allegat *), potius ingenti aneuryſmati aortae, continuato inde in oeſophagum vlcere, quemadmodum alium a Cel. HVNTERO adductum **) ſimili aneuryſmati cum aſpera arteria communicanti adſcribi debere docet.

Obſ. II. Femina iam a iuuentute de deglutitionis moleſtiis, accedente interdum vuulae elongatione, queſta, auctо ſenſim malo, glandulis colli et thyreoidea induratis, deglutitione demum prorſus impoſſibili, febre lenta, anxietate tuſſique moleſtiſſima cum ſputo ſanguinolento, amurcoſo, foetidiſſimo, 51. aetatis anno obiit. Sectione apparuere glandulae

*) Noſol. method. T. II. p. 298.

**) Medical Obſervations and Inquiries, Vol. VI. p. 25

in latere dextro colli, vltimo vitae tempore diſparuiſſe viſa, nucis iuglandis magnitudine, iugulari internae firmiſſime accreta, mollior et materia amurcoſa, pultacea, granuloſa quaſi, plena; glandulae in inferiori colli regione induratae multumque tumefactae; thymus inſolitae magnitudinis, non tamen conſueto durior; glandula thyreoidea durior et tuberculata; oeſophagus ſuperius tactu durior, ibi vero, vbi dolorem et obſtaculum in depulſione alimentorum ſenſerat aegra, magis praecipue dextrorſum expanſus et tumidus, tunicis tenuiſſimis, quae vel leviter tactae materiam tuſſis ope reiectae ſimilem emittebant; ſuperficies eiuſdem interna eroſa, vlcere in pharynge ad cartilagines arytaenoideas extenſo; inferior cartilaginis criçoideae margo totus nudus, in ſubſtantiam oſſeam mutatus, et infra eum apertura ſurſum in laryngem penetrans; in parte membranacea arteriae aſperae duo foramina ad interiora ipſius penetrantia, per quae materies iſta, ſine dubio etiam potus et medicamenta, tranſierunt, vnde non tantum vaſa aerea, ſed ipſi quoque pulmones ſcatere eadem conſpiciebantur. Similis propemodum caſus enarratur a Cl. LE CAT, cuius olim paucis mentionem fecimus *), aliusque a Cl. BLEVLAND in libellis a nobis indicatis **), pulmonis dextri vbique, maxime vero in ſacco eius medium occupante, materia griſea, denſa atque grumoſa, lacti corrupto ſimili, repleti, et per aperturam marginibus ſcabris, valde inaequalibus et craſſis cum oeſophago communicantis, oeſophago inferius admodum contracto.

Obſ. III. Femina 59. aetatis annum agens, per triginta fere annos continuo queſta de dolore in epigaſtrio, ad viciniam etiam ſe extendente, variis

 modis

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 95.

**) Eorumd. Vol. XXVIII. p. 60. et Vol. XXXI. p. 547.

modis excruciata, demum ſubinde ſanguinem, ſaepiusque ſputa admodum tenacia cum ſanguine mixta ſummos inter dolores emittens, ab omnibus ingeſtis maximas anxietates perpeſſa, tandem ſymptomatibus auctis multoque ſanguine eiecto viribus exhausta periit. Inteſtina liuida, coagulato ſanguine diſtenta; ventriculus in loco, ſolito depreſſiore, ad vmbilicum ſe extendens, multo itidem ſanguine grumoſo refertus: pancreas maxime induratum, fere cartilagineum, ſuperius cum ventriculo concretum parte circulari, in medio exulcerata, margine ventriculi calloſo; ſuperficies pancreatis eo in loco tuberculis inaequalis, foraminulis ex arteriae coeliacae ramo lienali hinc inde obſita, alio maiori ductus pancreatici orificium ſiſtente, qui altero fine duodeno inſerebatur; ceterum ventriculi ſuperficie interna parum mutata, niſi quod admodum rugoſa et vbique muco tenaci obducta eſſet. Quae huius vlceris origo fuerit, non conſtat. Filia huius feminae natu minor, de reliquo bene valens, ſaepe de ſimilibus ſymptomatibus ſenſuque grauitatis ac doloris in epigaſtrio, praecipue inſtantibus menſtruis, queritur, nonnunquam etiam ingeſta euomit, vnde metus naſcitur, ne eiuſdem mali initium adſit.

XV.

Oſſervazioni mediche e chirurgiche intorno alle faccoltà febbrifughe ed antiſettiche della corteccia dell' ippocaſtano raccolte da ANTONIO TVRRA medico-filoſofo, ſocio di molte accademie, ec. Vicenza. 1788. nella ſtamperia Turra. 8. mai. pagg. 110.

i. e.

Obſeruationes medicae et chirurgicae ſuper viribus febrifugis et antiſepticis corticis hippocaſtani, collectae ab ANTONIO TVRRA.

Qui

Qui olim iam ſuper viribus corticis huius libellum ediderat Cl. Auctor [a]) iam ſupplementa quaedam ipſi ſubiungit, a nobis nunc indicanda. In praefatione monet, ſe ex propria experientia dubitare, num arboris huius vſus oeconomicus tantus ſit, quantum bb. HALLERVS [b]) et SCOPOLI [c]) praedicarunt. p. 8.

Extractum epiſtolae Cl. IOH. IAC. ZANICHELLII *ad Cl.* IVL. BONFEDERA [d]). p. 9.

De vi febrifuga et antiſeptica corticis hippocaſtani, ex opere coronato Cll. COSTE et WILLEMET [e]). Vtriusque epitomes exhibendae otium nobis fecit Ill. MVRRAY [f]). Nimis compoſita ad verum effectum remedii conſtituendum videtur formula electuarii ex pulueris corticis vncia, gratiolae ſcrupulis duobus, ſalis fixi aſari (!) drachma, et ſyrupo florum perſicorum, cuius ſingulae doſi decoctum cichorei ſylueſtris ſuperbibendum praecipitur. p. 24.

Obſer-

a) Della febbrifuga facoltà dell' ippocaſtano, lettera ed oſſervazioni di ANTONIO TVRRA, dirette al Nobile Sig. CONTE ANTONIO MARIA PORTO. In Vicenza. 1780. 8. Teutonice vertit, praefationem annotationesque adiecit Cl. BVCHHOLZ, Weimar. 1783. 8.

b) vid. Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 664.

c) Eorund. Vol. XVIII. p. 640.

d) Raccolta d' Opoſcoli ſcientifici, e filologici, da ANT. CALAGIERA, T. X. in Venezia. 1734. 12. p. 187.

e) Eſſais botaniques, chimiques et pharmaceutiques ſur quelques plantes indigenes, ſubſtituées avec ſuccès à des végetaux exotiques, auxquels on a joint des obſervations médicinales ſur les mêmes objets. A Nancy. 1778. 8. p. 57.

f) Appar. medicam. Vol. IV. p. 66. ſeqq.

p. 30. *Obſeruationes Cl.* LEOP. MARC. ANT. CALDANI. In quinque aegris, febre tertiana duplici laborantibus. quae cortice peruuiano profligatae redierant ei eidem prorſus non obſequutae fuerant, decoctum vnciae corticis ramorum tenuiorum cum libris duabus aquae ad conſumtionem dimidii, interdum addito cochleari maiori tartari crudi, optatos effectus praeſtitit.

p. 33. *Epiſtola Ill.* COMITIS FERD. GVALDO *ad Cl. Editorem* VALLISNERIVM iam remedii huius mentionem feciſſe. Eius efficacia quatuor obſeruationibus comprobata, in febre tertiana inflammatoriae indolis, in qua aeger corticem peruuianum repudiabat; in tertiana ſaepius recurrente, continuato demum, etiam ſuppreſſis paroxyſmis, vſu deuicta; in tertiana duplicata, et in tertiana cum epilepſia coniuncta, in qua itidem peruuiani corticis vſus irritus fuerat. Conſilia de modo optimo colligendi ſiccandique corticem.

p. 44. *Litterae Cl.* LARBER *ad Ill.* GVALDO. Ex numeroſo grege aegrorum a febribus intermittentibus hoc remedio liberatorum (ex quibus tamen nonniſi in duobus quartanam vicit, in quibus cortici noſtro purgans aut reſoluens quoddam addit, quod in tertianis non ſemper facit) obſeruationes ſex febrium tertianarum et duae iam memoratae quartanarum: primo dedit ſeſquiunciam in octo doſibus, horis quaternis inter duos paroxyſmos, hac autem non ſufficiente, duas vncias iiſdem doſibus, in quartana duas cum ſemiſſe, additis ſalis cathartici anglici drachmis decem vel minus. In quartana corticem peruuianum, in tertiana hippocaſtani praeſtare. Neceſſitas continuati ipſius vſus, febre licet profligata, ſed tunc parcioris.

p. 55. *Extractum epiſtolae Cl.* LVDOVICI TARGIONI
p. 56. *ad Cl. Editorem*, aliusque Cl. IOS. ANT. MACCARI-

NI,

NI, qui eius effectus in omni fere febrium intermittentium et remittentium adeoque pernicioſarum genere depraedicat.

Obſeruationes practicae Cl. CAIETANI FORNASA *de viribus antiſepticis et antinecroticis corticis noſtri.* p. 58. Vndecim exemplis vſum externum ſimplicis decocti declarat, etiam in vlceribus faucium venereis, chronicis crurum cum ipſa carie coniunctis; infinito experimentorum numero eo deductus eſt, vt relictis omnibus aliis decoctis antiſepticis hoc ſolo vtatur.

His praemiſſis Cl. Editor ſynonymiam, locum p. 62. natalem et deſcriptionem botanicam arboris exhibet, partemque efficaciſſimam, comparatione per experimenta inſtituta, declarat corticem exteriorem bene ab alburno ſeparatum, praecipue ramorum maiorum; eo meliorem, quo magis ſoli pateat, inque loco arenoſo et elato poſita fuerit arbor. Ab exeunte aprili in iunium vſque, vbi ſuccis ſcatet arbor, collectus is cortex ex vnica drachmam extracti garayani largitur. Ad parandum tamen decoctum, quod efficacius exiſtit a cortice recenti, ſub quouis anni tempore colligi poteſt, modo ab alburno lignoque probe purgetur. Siccandus in loco vmbroſo ſicco, nec, niſi quum eodem vti animus eſt, in puluerem vertendus. Decoctio paratur ex vncia corticis recentis vel ſiccati, minutim conciſi ſeu contuſi, ad quaml bet libram aquae communis donec dimidium conſumtum fuerit; tum fortiter exprimenda et frigida ſervanda. Ad extractum parandum vnciae duae corticis contuſi per biduum aquae communis frigidae libris duodecim infunduntur et crebro agitantur, dein filtrantur, ſine ebullitione euaporationi committuntur, ſique parum fluidi remanſerit, refrigerentur, denuo filtrentur, in orbes planos porcellanos effundantur et ad conſiſtentiam extracti ſicci inſpiſſentur,

probe

probe ab humiditate tuendi, additis aqua aut ſyrupo commode in pilulas redigendi. Pulueris doſis drachma ſeſquialtera ad duas; decocti vnciae duae ad tres, extracti ſcrupulus vnus ad drachmam dimidiam, quarta quaque hora. Decoctum (frigidum vel calidum, quod perinde eſt) minus ingratum pulueri, multoque minus extractum. In nullo aegroto moleſtiae ventriculi aut alia incommoda ab vſu harum praeparationum obſeruata, nec ſecretionum aut euacuationum vlla mutatio. Neque vlla febrium crisi ſe monſtrauit, excepta alui ductione, rariori tamen ea.

p. 73. Experimenta ad comparandam inter ſe vim antiſepticam corticis hippocaſtani et peruuiani. Pulueris prioris carni inſperſus maiorem eidem duritiem impertit corruptionemque diutius arcet puluere corticis peruuiani, ſed iam praeſentem non cohibet; ſimilis effectus decocti vtriusque; extractum diutius adhuc putredinem coercuit puluere et decocto, minus tamen quam ſal communis; cum corticis peruuiani extracto experimenta facta non ſunt.

p. 84. *Obſeruationes quaedam practicae*, numero quadraginta duae, ex multis ſelectae a Cl. Editore partim in noſocomio, partim extra illud inſtitutis, in aegris varii ſexus variaeque aetatis, ab anno 4. ad 72. et vltra, partim tertiana ſimplici, partim duplici, partim quartana remittente (in his octogenaria) quartana ſimplici et compoſita (praecipue memorabili caſu 42. vbi quartana triplex a peruerſe tractato morbo venereo, aegro perfecte ſanitati reddito) laborantibus, in aliis praemiſſis purgantibus et ſanguinis miſſionibus, in aliis protinus exhibito remedio; morbo in quibuſdam antea cortice peruuiano fruſtra oppugnato.

p. 108. *Gangraenae vſu externo decocti curatae* exempla duo: in altero, ſublata gangraena, ſeparatio phalan-

ga

gae primae indicis carioſae cataplaſmate ex radice chelidonii maioris contuſa et in butyro frixa, bis de die applicato, praeſtita.

XVI.

Neues Magazin für Aerzte. Herausgegeben von ERNST GOTTFRIED BALDINGER. *Zehnter Band. Leipzig bey Friedrich Gotthold Jacobäer.* 1788. 8. *pagg.* 570.

i. e.

Nouum promtuarium in vſum medicorum editum ab E. G. BALDINGER. Vol. X.

P. *I.* Cl. SCHAEFFERI, archiatri principis Oettingo-wallerſteinenſis, *epiſtola ad Cl.* BECKER, reſponſionem ad ea exhibens, quae poſterior in praecedente volumine *) de cognatione apoplexiae cum arthritide propoſuerat: ad quam Cl. BECKER iam annotationes quaſdam reſponſionis loco ſubnectit. p. 1.

Tractationum minorum Cl. BÜCKING **) *finis.* Annotationes pharmaceuticae et practicae in vſum medicorum. Reſponſio ad cenſuram in nouis Ienenſibus litteraturam vniuerſam ſpectantibus. p. 12.

Reuiſio eorum, quae fratres BÜCKINGII monuerant ***), auctore Cl. KNACKSTEDT, iam oſteologiae morborumque oſſium prof. publ. ord. in ſchola imperiali medico-chirurgica Petropoli. p. 28.

Super epidemia varioloſa, ab anonymo, de dato *S.* *im H. B.* 15. Oct. 1787. p. 33.

Hiſtoria morbi feminae 62 *annorum*, auctore Cl. RVCHS. Aſthmati pituitoſo ſuccedebat hydrops, febris ſcarlatina, denique mors. Sectione inueniebantur p. 36.

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XXX. p. 621.

**) ibid. p. 643.

***) ibid. p. 621.

tur ſanies ſanguinea in abdomine, colon dextrum coalitum, pleura cum pulmone dextro, ventriculus cum diaphragmate, lien et reliqua omnia, quae peritonaeum tangebant, cum eodem concreta, ouaria indurata, ren ſiniſter permagnus, cor item, liquoris pericardii inſignis copia, calculus biliarius piſi maioris mole, multum aquae in ventriculis cerebri.

p. 39. *Hiſtoria morbi*, auctore B***. Tinctura antimonii acris feminam 69 annorum cachexia cum aſthmate humido et oedemate pedum liberauit; vſa tamen ſimul eſt aliis pectoralibus et reſoluentibus.

p. 41. *De lumbricis*, aphoniam et paralyſin vnius lateris efficientibus, medicamento, quod mercurium dulcem et diagrydium capiebat, curatam: idem effectus in puero epileptico.

p 43. *De vi narcotica papaueris* exemplum. Vtercque horum articulorum eidem anonymo B*** debetur.

p. 44. *Hiſtoria morbi*, auctore anonymo B-CH. Femina 58 annorum, per multos iam annos doloribus vagis rheumaticis inprimis in cardia et inteſtinis obnoxia, puluere nicotianae abuſa, ante ſex annos obſtructionem narium querebatur, quae anno ſequenti pure mucoſo erodebantur; poſtea in vtraque cartilagine naſcebantur excreſcentiae durae verrucoſae, lente increſcentes, ſed hucdum remediis nec internis nec externis cedentes, verum a cauſticis incrementum ſenſim maius adeptae. Cultro non ad omnes aditus patet, quem etiam aegra reformidat. Ergo quid agendum ſit quaeritur.

p. 49. *De noxis liquorum ſpirituoſorum, potiſſimum vini aduſti*, auctore C. H. S. in A. Strenuum potatorem elixirio vitrioli Mynſichti et acido vitriolico aqua dilutis reſtituit, qui vero ad priſtinos mores rediens macie confectus poſtea periit. Sectio infantis poſt exhibitum crebro ſpiritum vini, quo dentitio facilitaretur, atrophia confecti: viſcera maximam partem exſucca

et

et ſcirrhoſa; loco bilis ichor alcalinus; ſanies foetida in pulmonibus pleurae accretis cet.

Protocollum examinis medicaſtri cuiuſdam. p. 61.

Prandium in promotione Altorfina 1787. p. 65.

Cl. IOH. GOTTHELF HERZOG, medicus Camen- p. 67.
tienſis, *de catalepſi in puero*, continuato vſu tartari emetici poſteaque corticis peruuiani cum liquore cornu cerui ſuccinato ſublata.

Liquidatio chirurgi ſatis enormis, ſubiuncta mo- p. 71.
deratione.

Hiſtoria morbi conſcripta a Cl. KEVP. Faber li- p. 76.
gnarius 47 annorum per nouem menſes febre quartana affectus multisque omnis generis bonis aeque ac peruerſis medicamentis vſus fuerat; iam ad incitas redactus Cl. Auctoris opem efflagitabat, qui reſolventibus exquiſitiſſimis per 14 dies exhibitis, hisque ſubiunctis euacuantibus, quum paroxyſmi tempore mutarentur et miteſcerent, cortice peruuiano primum cum rheo, tartaro tartariſato et gentiana in decocto, poſtea iam quaſſia in infuſo vinoſo, aegri vires et vigorem reſtituebat, adeo vt conſuetis negotiis rurſus vacare poſſet. Sed breui elapſo tempore ſubito mania corripiebatur; tartari emetici magnae doſes nihil efficiebant; balnea frigida recuſabant propinqui; reliqua auxilia irrita erant, et tertio die accedente nouo horrore aeger moriebatur.

Cl. F. A. WEBER, phyſici Heilbronnenſis, epiſto- p. 81.
la ad Editorem de variis litterariis, cum adiuncta morbi et ſectionis hiſtoria, viri a pede equi ad canthum internum oculi dextri percuſſi et die ſexto mortui. Diffracta oſſa vſque in ſubſtantiam medullarem cerebri penetrauerunt: ſymptomata tamen funeſta nonniſi 21 ante mortem horis apparebant.

Anecdota.

P. II. Continuatio quarta indicis copulatorum cet. p. 92.

in Pomerania Suecica et Rugia a 1. *Iul.* 1786. — 30. p. 97.

Iun. 1787. auctore Cl MAVR. (nunc) DE WILLICH. Copulata 469 paria. Nati 1150 pueri, 976 puellae; ex his 153 extra coniugium; mortui 20; gemini 17 paria. Mortui sunt 1875; a natiuitate ad decimum annum 781; a decimo ad vigesimum 82; a vigesimo ad quinquagesimum 332; a quinquagesimo ad sexagesimum 221; a sexagesimo ad septuagesimum 243; a septuagesimo ad octogesimum 121; ab octogesimo ad nonagesimum 34; a nonagesimo ad centesimum 12. Morte praeternaturali 40, quorum dimidia pars submersi, vnus tonitru occisus, quum ipse Cl. Auctor vix 40 passus ab eodem distaret: eneclis facies protinus obscure liuebat, de reliquo nulla lesio nec metalli, quo vestimenta obsita erant, fuit conspicienda. Idem fulmen vna duos equos necabat, arborem diffindebat et aedificium incendebat. Ipse Cl. Auctor stupidus, tristis et anxius reddebatur et per octiduum grauitatis lassitudinisque sensum percipiebat. Senio periere 120; atrophia 10; phthisi 92; hydrope 60; oedemate 22; tussi 16; asthmate 16; spasmis 22; colica 19; obstructione alui 22; apoplexia 154; catarrho suffocatino 22; febribus acutis et pleuritide 159; morbis pectoris 222; haemorrhagiia 11; febribus putridis (secundum indices ex parochiis exhibitos, ideoque omni exceptione neutiquam maiores) 37, absque epidemia variolis 235; purpura 60; in puerperio 16; e. l. p. Ex inspersis annotationibus haec excerpere licet. — Oedema subito oriens et increscens, praecipue in obesis, a refrigerio post calorem praesertim ortum, periculo fere carens, profligatur vino antimonii HVXH. cum dimidia portione tincturae colocynthidis DAHLB. *) ad guttas 30 omni trihorio, vinique meracioris decocti baccarum iuniperi, quod etiam sub initiis anasarcae quamplurimum prodest. Spasmi

*) vid. Comm. nostr. Vol. XXII. p. 357.

in infantibus non infrequentes, nec euacuantibus, nec anthelminthicis, ſed ſolis antiſpaſmodicis et cortici cedentes. Hyſteria in femina iuniore, tinctura valerianae, elixirio vitrioli acido Lond. et eſſentia aurantiorum, ad guttas 30. quater de die exhibitis, curata. Obſtructio pertinax cum febre et deliriis, quae ſymptomata nonniſi egeſtis ouis cancrorum, ante quatuordecim dies magna copia aſſumtis, ceſſabant. Vſus ouorum in ictero probatur. Triſtis relatio de maniaco, qui ſibi ipſi aſperam arteriam et oeſophagum diſciderat, vaſis maioribus illaeſis, ſeptimoque demum die moriebatur. Exemplum feminae nunquam menſtruatae, octo tamen liberorum matre: filia eius, ſani habitus, itidem nunquam menſtruata, neque grauida, licet aliquot iam annos nupta. Vetula ſeptuagenaria variolis ſecunda vice correpta obiit. Aduerſus eclampſiam infantum remedium domeſticum, iam ab OSWALDO GAEBELHOVER (*Arzneybuch, Tübing.* 1641. 2. *Aufl.*) propoſitum, ex caruncula lieni ſimili, linguae pulli equini recens nati inhaerente, ſiccata et in puluerem redacta, doſi mane et veſperi in recens natis quantum cultri cuſpis capit, in adultioribus duplo vel triplo maiore, ter vel quater repetenda. Aër fixus methodo Hulmiana exhibitus, omnium lithontripticorum facile princeps. Cereuiſia fermentans remedium domeſticum ad menſes proliciendos, aut, ſi ſuppreſſi fuerint, reuocandos, itidem ob fixum aërem. In cruſta lactea violae tricoloris (bicolorem dici mauult) vſum Cl. Auctor vere vtilem perſpexit: illam et in aliis corporis partibus, facie libera, vidit. Locis humidiſſimis ſemen lycopodii, quod etiam iunctum lotionibus cum aqua frigida excoriationibus optime medetur, inſpergi, vel iiſdem vnguentum ex ſebo ceruino, cremore lactis et eodem ſemine aliquoties de die infricari iubet, quo etiam aduerſus tineam cruſtasque variolarum vtitur.

Iam his indicibus per quatuor annos continuos finem imponit Cl. Auctor, et conſectaris quaedam generalia ex iis elicit, in quibus etiam metum variolarum naturalium, ab inoculatione non fugandum, exemplo trium fratrum, quibus idem fatum accidit, et quibus ſimilia alia exſtare aſſerit, adducit.

p. 127. *Hiſtoria morbi*, medicis ad diiudicandum et auxilia ſuadenda propoſita a Cl. GRAVMANN, prof. Bonnavienſi. Vir ſexaginta aliquot annorum, vitae ſedentariae laboribusque caput afficientibus deditus, ſibi to peculiarem ſenſum in capite, duorum circa, pulicum ſuper aurem ſiniſtram diſtantia, percipit, quem cum ſono elateris in horologio comparat, absque dolore, ſed cum leuiore gradu deliquii animi et ſigni laſſitudine; ſtrepitus iſte, diuerſimode mutatus, ceſſat, quum corpore in lecto quieſcente caput a ſiniſtrum latus inclinatur; febris nulla vnquam; poſt aliquot hebdomadas, ſtrepitu licet ſubſiſtente, debilitas tamen ſenſim diſparuit, aegerque ad conſueta negotia rediit; ſtrepitus autem ipſe, ab inclinatione verſus terram vel capite menſae impoſito, non ſuſcitandus, tamen per quoſdam menſes bis de ſtatis horis redit. Auxilia multa tentata, ſed ſine ſucceſſu: quum autem haemorrhoidalia molimina ſub primo morbi acceſſu adeſſent, hirudinum vis commendatus, quas vero aeger repudiauit. Morbus iam in nonum menſem perdurat.

p. 137. *Cogitata quaedam* auctore Cl. DE WILLICH, de limitibus venaeſectionis in vomitu cruento, et de retroflectionis vteri exemplo, Ill. RICHTERI bibliothecae chirurgicae *) inſerto.

p. 141. *Quaedam ad biographiam medici celeberrimi* (Sydenhami), cuius nec veritatem nec ſalem diiudicare nobis datum eſſe fatemur).

p. 144. *Tractatus minores, auctore anonymo.* De difficultatibus

*) Vid. Comm. noſtr. Dec. III. Suppl. IV. p. 708.

tatibus auxiliorum apparenter mortuis ferendorum, et quomodo eae tolli poſſint. De verrucis ſeu clauis digitorum: commendatur frictio crebra cum ſapone ſicco, quo ſenſim deteruntur. Pia deſideria: de medicis in vita academica, imo ſub ipſius practicae initia, ſuſtentandis et ab inopia, adeo largo malorum fonte, defendendis.

Obſeruationes quaedam ſuper hirudinibus, auctore Cl. FIELIZ. Nigrae (*H. ſanguiſuga* L.) ab aliis damnatae, aeque commode in vſum duci poſſunt, ac ſtriatae (*H. medicinalis*). Nec auulſio noxios effectus producit. p. 160.

Obſeruationes variae minores, auctore eodem. Certum indicium grauiditatis primis temporibus iam determinandae a Cl. STEIN propoſitum, orificii vteri in figuram circularem mutatio *). Verſio, capite iam in peluim minorem delato, anceps remedium. De praeſtantia forcipis, inprimis Ormiani, aut Leuretiani brachiis longioribus inſtructi. Iſchias ad vexatiſſimum SVETONII locum ſuccuſſionibus cum virga balaenaria et fotu cum ſacculis arena calefacta impletis ſanata. De docimaſia pulmonum: infantis debilis nati pulmones in aqua fundum petebant, praeter partem inferiorem pulmonis dextri, qui etiam ſeparatus aquae innatabat. Suffocatio in aqua: duo ſubmerſi ſigna manifeſta eius offerebant, glottis aperta erat, aqua paludoſa, ſanguine ſpumeſcente remixta, aeque ac bronchia repleta; tertius, qui vitae reſtituebatur, per aliquot dies inter dolores tenſiuos pectoris et pungentes lateris cum tuſſi vehementi et pertinaci ſimilem materiem eiiciebat. Aqua traumatica, pro arcano habita, ex millefolio, plantagine et chelidonio cum vrina, fermentatione praegreſſa, coctis, dein combuſtis et cum expreſſo hoc ſucco, vi- p. 165.

*) In primiparis tantum valens. Vid. Ill. METZGER *Annalen der Staatsarzneykunde*, 1. B. 2. St. S. 76.

triolo et alumine calcinatis, in maſſam nigram lapideam coctis, cum aqua fontana digerendam. Cataracta a terrore ſubito orta, quum operatio ſtaphylomatis incurabilis alterius oculi aegrae denegata fuiſſet. Morbi ficti: excretio materiae ichoroſae a prolapſu vaginae, quae nihil erat niſi ſolutio ſaponis cum puluere laterum mixta; ſimulata tormina ventris retento ſpiritu, vt in gaſtromythia.

p. 182. *Hiſtoria ſectionis* L. B. DE GREIFFENCLAU, *ecclesiae Spirenſis cathedralis*, iſchuria demortui, conſcripta a C. BIRNSTIEL. Figura externa abdominis multum mutata, veſica vrinaria vſque ſub ſcrobiculum cordis et ad vtrumque latus extenſa; tumor in medio inter regionem epigaſtricam et vmbilicalem pugni magnitudine et pollicis altitudine, aliusque maior ambituque magis irregularis in medio lateris ſiniſtri regionis vmbilicalis. Sub ſectione fundus veſicae protuberabat, omento et inteſtinis e ſitu naturali depulſis. Corpus veſicae plus minus arcte cum peritonaeo coniunctum. Veſicae longitudo a fundo ad collum 10 pollicum, diameter tranſuerſalis in fundo 5 pollicum 6 linearum, in corpore 3 pollicum 3 linearum: ambitus in longitudine 2 pedum 2 pollicum 2 linearum, tranſuerſalis minimus 10 pollicum, maximus 1 pedis 5 pollicum 9 linearum. Corpus et fundum diſtinguebat cingulum tendineum 3 lineas latum, ex quo ſurſum ligamenta oriebantur, fundum in tres eminentias herniis ſimiles, ſed abſque conſtrictione, diuidentia; ſimile ligamentum denſum in ſiniſtro latere deſcendens tumorem maiorem exterius iam conſpicuum efficiebat. In his eminentiis tunicae iuſto tenuiores erant, in reliquis partibus 2 vel 3 lineas craſſae. In latere dextro colli veſicae plexus vaſorum quodammodo turgidiores; in ſuperficie poſteriori veſicae ſugillatio a tentata methodo Fluranti paracenteſi inducta. Pro-

fluu

ſtata et ſphincter multum inflammata, prior $\frac{2}{3}$ naturali maior et durior. Orificium veſicae interius laeviſſimum. Euacuata veſica, quae circa libras 9 vrinae cum muco et pure remixtae capiebat, ex proſtata eximebantur lapilli quinque albi, partim rotundi, partim oblongi, magnitudinis diuerſae globulorum plumbeorum (*Schrot*); caput gallinaginis itidem multum inflammatum, ſed omnia denſitate naturali. In veſica ipſa calculi duo coloris nigrofuſci, maculis rubris variegati, ſplendentes, politi, ſuperficie nonnihil depreſſa, margine ſubrotundo, diametri 1 pollicis latitudine, 6 linearum altitudine, cuius medium album erat, collum formans, calcareum, tactu molle, laminis tenuiſſimis conſtans. Hi calculi conceptaculis peculiaribus incluſi fuerant, quorum 31 in tunica interiore exſtabant, inter ſe non communicantia, a membrana humida gelatinoſa, tremula, deſcendente formata; in his loculis magna copia liquidi purulenti haerebat, procul dubio ex rene ſiniſtro huc delati; vreteris ſiniſtri inſertio adeo ampla, vt nucem auellanam mediocrem caperet; vreter ipſe digiti indicis hominis robuſti capax; peluis renis itidem iuſto amplior, ſed vacua; ren ipſe dimidio maior naturali, exterius multis abſceſſibus pure corruptoque ſanguine plenis obſeſſus; tota ſubſtantia putredine tactus, mollis, digitis in putrilaginem conterendus. Ren dexter, praeter abſceſſus in ſuperficie externa, et magnitudinem eius adhaerentisque vreteris paullo minorem, ſiniſtro ſimilis, aliquot adhuc vncias puris continebat. Inteſtina ſana, ſed iuſto anguſtiora. Ventriculus a medio curuaturae paruae ad medium magnae in partes duas conſtrictione diuiſus, tranſitum tamen non impediente. Reliqua in abdomine et pectore ſana.

P. III. Morbus, mors et ſectio puerperae, auctore p. 193.
C. H. S. medico in A. Biduo poſt puerperium febris

cum lochiorum ſuppreſſione, obſtructione et ſpaſmis abdominalibus, quibus antea crebro obnoxia fuerat, aegram ſubito inuaſit, et licet aluus ſolueretur, tamen morbus increſcebat et accedente demum delirio aegram quinto die tollebat. Sectio monſtrabat aquam in cauitates pectoris, pericardii et abdominis effuſam, pulmones liuidos, ſanguine turgentes, inteſtina liquore lacteo obducta, omentum tenue et marcidum, hepar ingens, pallidum, veſiculam felleam bile obſcure viridi fluida turgidam, lienem fracidiſſimum, ventriculum et inteſtina maxime expanſa et relaxata, et partem tenuium leuiter inflammatam, vterum contractum, exſanguem, orificio cum vagina coniuncto, et in hac excreſcentiam ſeſquipollicem protuberantem. Cauſſas praediſponentes quaerit Auctor in variolis malignis ante ſexennium ſuperatis et peruerſa diaeta.

p. 201. *Mors a deglutitis nucleis prunorum*, auctore eodem, in ruſtico quinquagenario maiore, poſt vomitum diuturnum; cauſſa poſt mortem demum detecta.

p. 204. *Quaedam ſuper ſcabie ad confirmandam* Cl. WICHMANNI *aetiologiam eiuſdem* *), auctore Cl. HERN. ERN. IVSTI, orphanotrophei Annaburgenſis medico. Damna a ſcabie retropreſſa non huic, ſed suppreſſae a pinguibus tranſpirationi adſcribenda eſſe, item frigori durante inunctione admiſſo. Salutaris ſcabiei effectus creditos eoſdem eſſe cum effectibus veſicatoriorum aliorumque cutim irritantium. Irritationi, quam in vnguento Iaſſeriano vitriolum album, aeque ac mercurius ſublimatus, in cute efficit, puſtulas recens ſurgentes tribuendas, neque eas ſcabioſas dicendas eſſe. Remedium, quod quam maxime vtilitate ſua ſe probauit Cl. auctori, ex florum ſulphuris vnciis tribus, ſalis ammoniaci vncia vna, cum aqua

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XXVIII. p. 633. ſeqq.

aquae calcis viuae libris quinque ad reſiduum librarum trium coctis, addendo colaturae mercurii ſublimati in aqua calcis bene ſoluti ſcrupulos duos; hoc remedio veſperi tota ſuperficies corporis, vbicumque puſtula adeſt, abluitur, ſubiuncto altero mane balneo et ſaponis vſu. Hoc modo plus quam 300 intra annuum ſpatium paucis hebdomadibus elapſis ſanauit, nullo vquam incommodo relicto. Immunditiem primariam cauſſam ſcabiei eſſe; febres intermittentes, tineam cet. nullum influxum habere, contagio parum vel nihil tribuendum; diaetae rationem non habendam eſſe; diſpoſitionem humorum ad cutim determinandorum nihil conferre aduerſus Cl. SELLE *).

Cogitata quaedam de publicitate (ſit venia verbo p. 215.
recenti) *in rebus medicis*, occaſione tractatus cuiuſdam Cl. ZIER in indice litterario Brunouicenſi de aqua Toffana (egregie dicta, noſtroque applauſu digniſſima). *Fallacia cauſſae medicae:* radices dauci fructusque iuglandis recentes non anthelminthica eſſe, ſed vermibus copioſum nutrimentum praebendo eorum morſus atque inde oriunda ſymptomata praeuertere. *Annotata ad loca quaedam in antecedente volumine huius promtuarii;* fluorem album benignum, etiam chronicum, optime curari laxanti, cui adiunctus mercurius dulcis, dein tinctura antimonii acri cum eſſentia ſuccini et pimpinellae, ac denique eſſentia catechu. *Annotata pharmaceutica* de magnete ferrum cum cupro et orichalco mechanice vnitum attrahente, et de aqua Goulardiana extemporanea ex aquae ſimplicis deſtillatae vnciis duodecim et ſacchari ſaturni drachma vna paranda; *chirurgica* de vnguento nutrito, quarta parte lithargyrii efficaciore reddendo, cet. *practica* de diuerſo effectu corticis peruuiani in laxanda vel adſtringenda aluo.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXVIIII. p. 209.

p. 226. *Extracta ex diariis inſtituti clinici Gottingenſi*, ſubiunctis quibuſdam annotationibus Cl. FISCHER. Intra biennium ex 986 aegrotis mortui ſunt 39 Epidemici morbi nulli, niſi 1785. typhus frequens cum petechiis, et 1786. variolae: ex 31 varioloſis ſex mortui. Tempus maxime inſalubre finis hyemis, februarius et martius.

p. 230. *Breuis hiſtoria contagii virulenti a mortuis porcis in homines translati*, auctore Cl. I. D. BVSCH, med. p. p. o. Marburgenſi. Seruus carnificis, qui porcum angina inflammatorio-ſuppuratoria enectum aperuerat, et digitis nondum ablutis naſum emunxerat, ab hac cauſſa et ab inhalatis putridis vaporibus ſubito gangraena naſi et ingenti tumore elaſtico facies et colli corripiebatur et intra triduum ex improuiſo moriebatur, putredine adeo celeriter increſcente, vt (licet februario) vltra 36 horas ſepultura differri nequiret. Duo canes, qui carnis demortui eiuſmodi porci quicquam deuorauerant, intra paucas horas cum omnibus aſſumti veneni ſignis perierunt.

p. 234. *Conſilium de rheumatiſmo arthritico chronico in ſuperiori vol.* *) *deſcripto* a G. medico in F.

p. 237. *Symbola ad formulas medicamentorum peruerſas, a pharmacopoeo iuniore in itinere per Germaniam ſeptentrionalem collecta, ſubiunctis annotationibus.* (Nec *Moſchati* niſi inter errores typographicos referenda, non adeo honorificum de ſcientiis *praeparantibus* auctoris teſtimonium exhibere quibuſdam videri poſſet. Formula ſpecierum ad clyſterem, non clyſteris ipſius, quae eſt mens auctoris, forte ad copioſiores eoſdem Kaempfiana methodo praeſcripta eſt, ideoque cenſuram minus mereretur, licet nec bellis hic in eadem occurrens, nec ſcriptionis commiſſa vitia nos lateant; hinc etiam arduum iudicamus de ingredientium inter ſe relatione compoſitionisque rationibus

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XXX. p. 636.

nibus decidere velle, incognitis morbo, aegro eiusque genio, aliisque, quae in itinere non protinus occurrunt, ſed diuturno demum vſu innoteſcunt. Neque tamen his omnibus peruerſarum ineptarumque formularum cauſſam agere ſuſcipimus, aut ignorantiae vel oſcitantiae patrocinari vllo modo voluimus.)

Cogitata quaedam mere medica ſuper manipulatione, auctore BÜCKING. Omnia ad effectus frictionis redire. p. 248.

Remedia quaedam aduerſus rheumatiſmum arthriticum chronicum, cuius paullo ante meminimus, indicata a Cl. ZELLER. Debilitas genu, ſuperata iam acrimonia remanens eiuſdemque tumorem fouens, roborantia externa exigit, lotiones cum aqua vegeto-minerali camphora mixta mane et veſperi ſuper prunis et leni accedente motu, interpoſita applicatione ſparadrapi GOVLARDI ſeu vnguenti eiuſdem, adiunctoque vſu remediorum internorum et fonticuli in brachio, motu corporis in curru, cuius efficacitatem in tumore genu a gonagra reſiduo in ſeipſo expertus eſt Cl. Auctor. Remedia autem ſaturnina nec in metaſtaſi materiae arthritico-rheumaticae ad alia loca, nec in vera gonagra, nec protinus in initio morbi, nec eodem iuſto diutius protracto, commendat. p. 255.

Morbus rarus, ab anouymo deſcriptus, ſed admodum imperfecte, ſiquidem nec eiuſdem initia aut cauſſae praegreſſae memorantur, nec exitus: videtur fuiſſe ſummus aſthmatis ſpaſtici gradus. p. 260.

Morbi cutanei chronici hiſtoria, auctore S-ST. Aegra 32 annorum iam per decem annos cum eodem conflictatur, iam multum mitigato, et procul dubio a vitio hepatis profecto. Hiſtoria morbi ſatis prolixe conſcripta eſt, ſed paucis contrahi a nobis iam nequit. p. 262.

G. in B. *reſponſio ad quaeſtionem, quomodo aegrae ſuccurrendum ſit, cuius hiſtoriam vol. huius P. I. p. 44. exhi-* p. 269.

exhibuit. Excreſcentiae non cauſticis, ſed cultro tollendae; interne mercurialia cum aconiti extracto aucta ſenſim doſi exhibenda; ſublato malo thermae Emſenſes.

p. 271. *Relatio inoculationis variolarum in carcere Neocaſtrenſi* 1721. *in ſex captiuis a chirurgo* CAROLO MAITLAND *ſuſceptae.* Documentum publicum ad hiſtoriam inoculationis quam maxime pertinens.

p. 278. *Anecdota.* (Ad phaenomeni phyſici n. 7. propo-
p. 280. ſiti explicationem putamus rationem haberi oportere vaſis, diuerſae conditionis calcis viuae, et proportionis eiuſdem ad quantitatem aquae).

p. 289. *P. IV. Examen phyſico-chemicum fontis chalybeati Langenſchwalbacenſis.* Grauitas ſpecifica ad aquam ſimplicem deſtillatam eſt 1,0011 ad 1,000. Libras medicae (℔ = ℥xii) 48 continent ſalis culinaris grana 5; alcali mineralis ſicci aërati 6; ſelenitae 16; terrae calcareae aeratae 33; magneſiae aeratae 20; ferri aerati 29; praeterea veſtigium ſubſtantiae reſinoſae (non tamen adeo aquae ipſi, quam vaſis pice obturatis adſcribendum) et extractiuae. Ex libris duabus euoluebantur acidi aerei pollices cubici 32½, et aeris dephlogiſticati ½.

p. 307. *Viſum repertum ſuper examine impotentiae, ea ſolertia hic tranſcriptum, qua vti ſolent in deſcribendis diplomatibus:* iudicium innititur aetati, habitui corporis, vitae generi, ſtatui genitalium; erectionem in eiuſmodi examine non poſſe vi obtineri.

p. 310. *Exemplum conſilii medici lingua gallica conſcripti a Cl.* VICQ D'AZYR (in quo autem iſtam ſolertiam deſideres, vti vel ex ſubſcripto nomine patet).

p. 311. *Varia variorum auctorum. Cl.* FRANC. WILH. KAVHLEN, prof. med. Bonnenſis, in diario medico Baldingeriano (*St. XIV. S.* 38.) cenſuram praelectionum medicarum in academia Bonnenſi, in promtu-

rio

rio medico *) exhibitam, diluere tentauerat; ad quae hic auctor anonymus iſtius cenſurae reſpondet. De variolis naturalibus ſecunda vice redeuntibus. De machina aeroſtatica a medico parata ſpectatoribusque publice annunciata. Relationes chirurgi ad medicum ſuper ſtatu aegroti cuiuſdam tranſmiſſae (quibus ſimiles vbique locorum inueniri poſſe nulli dubitamus). De agyrta curationes magneticas exercente. De femina ſuppreſſione vrinae ab vtero retroflexo per inſcitiam chirurgi mortua. De febre intermittente laruata ſub ſpecie tuſſis conuulſiuae periodicae, per corticem peruuianum cum ſulphure aurato antimonii, veſicatorium inter ſcapulas, et aſſam foetidam ante acceſſum ſumtam curata. De menſtruis ſponte ceſſantibus, haecque ſupplente ſtato tempore haemorrhagia narium. Annunciatio verſionis germanicae deſcriptionis dyſenteriae epidemicae a Cl. VAN GEVNS editae, per Cl. KEVP..

Obſeruatio communicata a Cl. BIRNSTIEL. Virgo ruſtica per 14 dies ſuppreſſione vrinae laborauerat; chirurgus Bruchſalienſis SPENGEL cauſſam in hymene coalito inuenit, eoque diſciſſo remediisque antiphlogiſticis, venaeſectionibus, clyſteribus et aquae frigidae iniectionibus aegram reſtituit. p. 325

Monitum de aquis ſelteranis, ad cauendas fraudes in iis vendendis committi ſolitas. p. 329.

Symptoma peculiare in octogenario, communicatum a medico quodam 1. Ante duos annos et dimidium in lecto, antequam incaluiſſet, motum plumarum cum caloris ſenſu percepit, quod quum per aliquot noctes perſenſiſſet, conſilium cepit, loco ſtragulorum corpus tantum induto veſtimento pellibus (qualibus?) munito obtegendi, et tunc phaenomena electrica cum in proprio corpore, tum in conclaui eiusque vicinia animaduertit; electricitas negatiua ingen- p. 331.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XXX. p. 621.

ingentem copiam ſcintillarum eduxit, et priora phaenomena debilitaſſe viſa eſt, ſed ſubſiſtit ſenſus quaſi percuſſionis in capite, variae directionis, per intervalla aliquoties recurrens, quum aliquamdiu in lecto iacuit; hic tamen ſenſus iam per ſeptem vel octo annos percipitur (adeoque prior eſt phaenomenis illis electricis). Ill. BALDINGER electricitati aliquid largitur, quaerens tamen, numne ſymptoma primarium ex hypochondriaca quadam hyperaeſtheſi in cute explicari queat? an molimina haemorrhoidalia occaſionem praebuerint hallucinationi viſus et auditus?

